

DIEGO RUIZ DE MONTOYA, S.I.
Commentarii in materiam de peccatis
(1^a 2^{ae})

[f.229]

Quaestio 74
De subiecto peccatorum

Articulus primus
Utrum voluntas sit subiectum peccati

CONCLUSIO: *Omnis peccati subiectum est voluntas* (haec conclusio explicabitur magis in sequenti articulo, dubio 2).

Tenet Alexander, 2 p., q.100, mem.5, a.2 fine¹; Albertus, 2 p., tract.22, q.136²; D. Bonaventura, 2, d.41, a.2, q.2³, ex Anselmo, libro de Peccato originali, dicente nusquam nisi in voluntate peccatum esse; Scotus, 2, d.42, q.4⁴; Durandus, 2, d.41, q.2⁵, ubi Ricardus, a.2, q.2⁶, et Aegidius, late et optime,

¹ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2 pars, q.100, mem.5, a.2: ed. 1516, fol.204v.

²ALBERTUS MAGNUS, Ratisbonensis Episcopus, *Summa Theologiae*, 2 p., tract.22, q.136 : Opera Omnia t.33, Paris (1895) p.457.

³S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.42, a.2, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.950.

⁴JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, 2, d.42, q.4: ed Vivès, 13, 448.

⁵DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.41, q.2: Amberes 1566, fol.200.

⁶RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 1.2, d.42, a.3, q.2: Brescia 1591, p.514b.

2, d.39, q.1, a.5⁷; et cum D. Thoma in praesenti, Caietanus⁸, Conradus⁹ et alii.

[f.229v] Hanc conclusionem demonstrat D. Thomas, quia omne peccatum debet esse actus liber et humanus; sed omnis actus humanus elicitur a voluntate quae sola libera est formaliter; ergo omne peccatum recipitur in voluntate ut in subiecto. PROBATUR consequentia, quia voluntatis actus sunt immanentes, quapropter recipiuntur in eo a quo producuntur. CONFIRMATUR 1^o, quia peccatum est malum turpe; turpe autem et honestum ad solum appetitum rationalem pertinent, quia honestum est quod rationi consonat, turpe autem quod dissonat a ratione. CONFIRMATUR 2^o Albertus¹⁰, ex Anselmo, libro de libero arbitrio, quia voluntas est primum et univesalissimum movens ratione cuius vel moventur vel quiescunt aliae vires; unde voluntati tribuendum est quidquid boni aut mali factum fuerit¹¹. 3^o CONFIRMATUR Aegidius¹², quia ex Augustino, 10 De Civitate, [De Trinitate], c.10¹³, peccatum hominis consistit in malo usu et fruitione rerum; sed uti et frui pertinet ad voluntatem, supra, q.11 et 16¹⁴; ergo omne peccatum est solius voluntatis.

Praecipua conclusionis RATIO plura complectitur quae variis in locis tradita sunt ex professo, quia nullum esse peccatum quod

⁷AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum, Quaestiones*, d.39, q.1, 5: Venecia 1581, t.1, 580s.

⁸THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2., q.74, a.1: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.36.

⁹CONRADUS KOELLIN, OP, *Expositio Commentaria... in Primam Secundae. S.Th. Aq.*, q.87, a.5: Venecia 1589, p.556.

¹⁰ALBERTUS MAGNUS, RATISBONENSIS EPISCOPUS, *Summa Theologiae*, 2 p., tract.22, q.136 : Opera Omnia t.33, Paris (1895) p.457.

¹¹ANSELMUS CANTUAR., *De libero arbitrio*, Vide c.VII: PL 158,499s; también *De concordia praescientiae... cum libero arbitrio*, q.2: PL 158,519ss.

¹²AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum, Quaestiones*, d.39, q.1, a.1 : Venecia 1581, t.1, 581 (al margen, de "Aug.10 de Trinit." anota "tomo 3 cap.10").

¹³AUGUSTINUS, *De Trinitate libri XV*, 1.10, c.10: CCL 50,327; PL 42,981.

¹⁴THOMAS AQ., *Summa Theologica*, 1.2., q.11 y 16: ed.leon.: 6,90 y 114.

non sit liberum ostensum est supra q.71, a.6, dub.4¹⁵, ex Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, Ambrosio, Bernardo, Epiphanio, Gregorio Magno, Prospero, Eucherio et aliis. Vide etiam Basilium, hom.9, *Quod Deus non sit auctor malorum*, col.7¹⁶. Deinde solam voluntatem esse formaliter liberam traditur 1 p., q.83, a.3¹⁷ et supra q.10¹⁸. Insuper actum peccati recipi in eo ipso agente a quo elicitur difficultatem habet, sed communem omnibus actibus immanentibus tractatamque in 8 Physicorum circa illud celebre dogma Aristotelis in eodem libro a textu 27 usque ad 40 et 3 De anima, textu 17 et 1^o Metaphysicorum, textu 17 *omne quod movetur ab alio movetur*¹⁹.

Contra hanc conclusionem ARGUITUR 1^o, ex Dionysio, c.4 *De divinis nominibus*,²⁰ dicente malum esse praeter voluntatem et intentionem; ergo non est in voluntate. RESPONDET D. Thomas: Divus Dionysius non negat quin malum ipsum volitum sit, negat tamen volitum esse propter se et ut finem, et ideo ait [f.230] esse praeter intentionem quae respicit finem.

ARGUITUR 2^o, quia voluntas nihil amat nisi sub ratione boni; quod si amat sub ratione veri boni non peccat, si autem sub ratione boni apparentis quamvis tunc sit peccatum, illud tamen videtur magis pertinere ad intellectum quam ad voluntatem. Et PROBATUR, quia deordinatio amantis apparens bonum pertinet ad deceptionem, deceptio autem potius pertinet ad intellectum quam ad voluntatem. RESPONDEO quandoque voluntate amari malum propter aliquod verum bonum, et tunc peccatum est, ut q.18, a.4,

¹⁵Archivo Teológico Granadino 2 (1939) 266-275.

¹⁶BASILIIUS, Homilia 9 *Quod Deus non est auctor malorum* : Divi Basilii Opera: Paris 1566, fol.166bc; PG 31,330.

¹⁷THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.83, a.3 : ed.leon.5,310.

¹⁸THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.10 : ed.leon. 6,83-89.

¹⁹ARISTOTELES, 8 *Physicorum*, c.3-5, n.27-40: ARISTOTELIS STAGIRITAE Opera, Lyon 1549, t.1, cols.525-530. ARISTOTELES, *De anima Liber Tertius*, c.V: Lyon 1549; t.1, col.831, n.17.

²⁰SANCTI DIONYSII AREOPAGITAE *De divinis nominibus*, ed. Baltasari Cordeiro, Anvers 1564, p.586; PL 122 (traduc. Escoto) 1145.

dub.²¹; quandoque vero sine ulla deceptione, etiamsi intellectus dictet aliquod bonum non esse verum bonum sed apparens, et sub illo latere verum malum; nihilominus illud eligit voluntas et in his apertum est malitiam esse ex parte voluntatis potius quam intellectus. Quod si contingat voluntatem decipi ab intellectu male iudicante de obiecto, illa deceptio non erit peccatum nisi volita sit a voluntate; ac proinde malitia semper reducitur in voluntatem ut in radicem. De quo infra q.76, a.1 et 2.

ARGUITUR 3^o, ex Dionysio, c.4 *De divinis nominibus*²², dicente malum non esse existens nec in existentibus; ergo peccatum non est in voluntate ut in subiecto. RESPONDET D. Thomas 1 p., q.48, a.3 ad 1, et *De malo*, q.1, a.2 ad 1²³, D. Dionysii mentem esse malum non esse in subiecto sicut partem aut sicut proprietatem naturalem illius aut sicut reale accidens, sed ut privatio est in subiecto secundum modum intelligendi.

ARGUITUR 4, quia voluntas est bona; ergo non potest esse subiectum peccati. PROBATUR consequentia, quia unum oppositum non potest esse subiectum alterius; sed bonum et malum sunt opposita; ergo. RESPONDET D. Thomas nuper citatus et Alexander, 2 p., q.100, memb.5, a.1²⁴: imo potius cuiusque mali subiectum est aliquod bonum, ex Augustino in *Enchiridio*, c.14 ante medium²⁵. Huius ratio est quia malum proprie acceptum dicit privationem boni; privatio autem est carentia formae positivae in subiecto quod potest illam habere; omne autem quod potest habere formam positivam est ens et eo ipso bonum est; imo ipsa potentia habendi formam bona est, quia forma habenda [f.230v] bona est. Ad rationem autem RESPONDEO mala opponi

²¹No conocemos este comentario.

²²SANCTI DIONYSII AREOPAGITAE *De divinis nominibus*, ed. Baltasar Cordeiro, Anvers 1564, p.575; PL 122 (traduc. Escoto) 1139s.

²³THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.48, a.3: ed. leon. 4,493; *Quaestiones disputatae de malo*, q.1, a.2 ad 1: ed. leon.23,11.

²⁴ALEXANDER DE HALES, *Summa theologia*, 2 pars, q.100, mem.5, a.1: ed.1516, fol.204a.

²⁵AUGUSTINUS, *Enchiridion ad Laurentium de fide et spe et caritate*, CCL 46, (IV.14) p.55; PL 40, 238.

bonis, singula quidem singulis, sed non omnia omnibus. Sicque caecitas opponitur potentiae visionis, sed non opponitur proprie animali, et ideo potest esse in animali; sicque peccatum potest esse in voluntate.

5°. [ARGUITUR] Quod si hinc inferas voluntatem simul esse bonam, ut supponitur, et malam quia habet in se malitiam sicut calidum est quod habet calorem. RESPONDEO non esse inconueniens sub diversis rationibus; nam quoad rationem intrinsecam bona erit voluntas, sed mala in quantum afficitur peccato. Similia quaedam alia argumenta vide apud D. Thomam, De veritate, q.1, a.2²⁶ et Alexandrum citatum.

Restat dubium: utrum peccatum subiectetur in voluntate immediate vel mediate. Cuius resolutio colligitur ex dictis q.72, a.6, dub.1²⁷. Et 1°, circa peccatum commissionis, materiale peccati, hoc est, ipse actus realis voluntatis et eius positiva monstruositas immediate recipitur in voluntate sicut caeterae volitiones. 2°, ratio formalis peccati immediate quasi inhaeret in actu positivo voluntatis et illo mediante in voluntate; est enim privatio rectitudinis quam actus deberet habere seu quam deberet homo habere in suo actu ex suppositione quod operatur, ut ibidem dictum est. 3°, peccatum purae omissionis immediate inhaeret voluntati quoad suam formalissimam rationem; nihil enim reale est quod recipiat privationem actus debiti nisi voluntas, quamvis quoad nostrum modum intelligendi prius intelligatur actus interpretativus quasi recipiens in se privationem.

Articulus 2

Utrum sola voluntas sit subiectum peccati

Dubium 1^{um}

Duo sunt huius quaestionis sensus: 1^{us} utrum esse possit aliquod peccatum in sola voluntate quamvis non prodeat in

²⁶THOMAS AQ., *Quaestiones disputatae de veritate*, q.1, a.2: ed.leon. 22,9.

²⁷*ArchTeolGran*, 56 (1993) 220-225.

exteriorem actum. Fuit enim haebreorum error qui omnem virtutem et vitium ad exteriores actiones referebant, sine quibus interiora desideria omni culpa [f.231] vacare existimabant. Rabbi Kimhi in id Psalmi 66: *iniquitatem si aspexeris in corde meo non exaudiet Dominus*, ita explicat: non imputabit ad peccatum desiderium iniustum, si tantum in corde sit. Ita refert Bellarminus, tom.3 *Controversiarum* 2, lib.5 *De amissione gratiae*, cap.10 ad obiectionem 2^{am}. Imo Iosephus, lib.12 *Antiquitatum*, cap.13, existimat desideria exterioribus signis manifestata culpam non esse nisi opere compleantur²⁸.

Errorem hunc refutare intendit Dominus, Mt. 5 [27s] illis verbis: *audistis quia dictum est antiquis non moechaberis; ego autem dico vobis: qui videt mulierem ad concupiscendum, iam moechatus est in corde suo*, ut bene notat Lyra ibi²⁹ et Abulensis, Mt 15, q.4³⁰. Idem colligitur ex Mt 6 [23]: *si autem oculus tuus fuerit nequam totum corpus tuum tenebrosum erit*, ubi oculus intentionem cordis significat; et Mt 23 [25] et Lc 11 [39] *vae vobis qui mundatis quod foris est calicis et paroxidis, intus autem pleni estis rapina et immunditia*; et Mt 15 [19] *de corde exeunt cogitationes malae, homicidia, etc., haec sunt quae coinquant hominem*. Prov. 6 [18] inter illa sex quae odit Dominus numeratur *cor machinans cogitationes pessimas*. Et Prov 15 [26] *abominatio Deo cogitationes malae*. Et Prov 24 [9] *cogitatio stulti peccatum est*. Et Sap 1 [3] *perversae cogitationes separant a Deo*. Et Ps 65 [18] *iniquitatem si aspexi in corde meo non exaudiet Dominus*. Et Is 1 [16] *auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*.

Ratione autem evidenter revincitur, quia tota radix imputandi aliquid ad culpam est libera voluntas; ergo illa data non deficit

²⁸ROBERTUS BELLARMINUS, *Controversiarum de amissione gratiae sive de statu peccati*, l.5, c.10 : ed. Vivès, t.5, 1873, p.418a.

²⁹*Bibliorum Sacrorum* tomus V cum *Glossa* ordinaria et NICOLAI LYRANI expositionibus, literali et morali. Mt 5: Lugduni 1545, fol.21r.

³⁰ALPHONSUS DE MADRIGAL [EL TOSTADO], *Tertia pars Abulensis super Mattheum...* c.15, q.4 : Venecia 1529, fol.79.

aliquid ad culpam. CONFIRMATUR 1^o, quia si volitio versatur circa malum obiectum non potest non esse mala, licet non prodeat in actum exteriorem, quia ab obiecto sumitur perfectio et defectus actionis. Et in hanc rem faciunt omnia dicta [f.231v] in q.20 de actu exteriori. CONFIRMATUR 2^o, quia angeli peccaverunt nullo actu prodeunte in exteriorem materiam, sed sola voluntate praeunte cognitione. Vide disputationem de morosa delectatione, dub.1 ad 6 et 8 huius quaestionis.

[Dubium 2^{um}]

[Utrum aliqua potentia praeter voluntatem sit subiectum alicuius peccati]

2^{um} dubium est de 2^o sensu quaestionis: utrum aliqua potentia praeter voluntatem sit subiectum alicuius peccati.

Pars negativa videtur manifeste sequi ex praecedenti articulo, ubi demonstratum est cuiusque peccati subiectum esse voluntatem.

Hanc difficultatem facile superabit qui tenuerit recte quae de superiori actu dicta sunt q.20, praesertim a.5. Distinguendum enim est peccatum in duas quasi partes scilicet peccatum interius et exterius.

1^a CONCLUSIO : *omne peccatum interius reperitur in sola voluntate et in nulla alia potentia subiectatur.* Ita D. Thomas hic et reliqui Doctores citati in praecedenti articulo et in sequenti conclusione. PROBATUR, quia peccatum interius est actus malus ratione sui imputabilis et ratione cuius alii actus exteriores imputantur; atqui omnes actus per se imputabiles recipiuntur in voluntate, ut in articulo praecedenti; ergo.

2^a CONCLUSIO: *peccata exteriora recipiuntur in aliis potentiis a voluntate.* Ita D. Thomas in praesenti, Alexander, 2 p., q.100, memb.5, a.2 ad 3³¹ et infra; Albertus, 2 p., tract.22, q.136³²;

³¹ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2 pars, q.100, mem.5, a.2 ad 3: ed.1516, fol.204v.

³²Véase nota 2.

D. Bonaventura, 2, d.41, a.2, q.2³³; ubi Durandus, q.2,³⁴ Scotus, 2, d.42, q.4, § *Ad quaestiones istas* et § *Ex istis*³⁵; Caietanus in praecedenti articulo³⁶; Ricardus, 2, d.41, a.2, q.2³⁷; Aegidius, 2, d.22, q.2, a.2 ad 2³⁸; Ockam, 3, q.10 ad 2 et 3 dubium, littera I et H³⁹.

PROBATUR, quia peccata exteriora sunt actus mali qui non sunt imputabiles ratione sui, sed ratione aliorum. Huiusmodi ut est ira vel delectatio turpis existens in appetitu sensitivo et cogitatio turpis existens in imaginativa et error existens in intellectu; quae quidem rationes turpes sunt, verum ratione sui praecise non imputantur [f.232] ad culpam nisi in quantum volitae sunt aliquo actu libertatis. CONFIRMAT D. Thomas in *sed contra*, quia contraria sunt circa idem; ergo in quo subiecto est virtus erit etiam vitium; sed virtutes sunt in aliis potentiis a voluntate, ut tradit D. Thomas supra, q.56⁴⁰; ergo etiam vitia. Quare ibidem erunt actus vitiorum, scilicet peccata; habitus enim non sunt nisi in potentia quae potest elicere actus illorum habituum.

Ad rationem dubitandi in principio propositam RESPONDEO 1^o, in articulo praecedenti acceptum esse peccatum pro praecipuo analogato, scilicet pro peccato interiori; sicque dictum est omne peccatum esse actum immanentem. RESPONDET 2^o Caietanus in

³³S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.42, a.2, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.952.

³⁴DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.41, q.2: Amberes 1566, fol.200.

³⁵JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, 2, d.42, q.4: ed Vivès, 13, 448 y 451.

³⁶THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2., q.74, a.1: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.36,IV.

³⁷RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 1.2, d.41, a.2, q.2: Brescia 1591, p.505a.

³⁸AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum, Quaestiones*, d.22, q.2, ad 2: Venecia 1581, t.1, 216a.

³⁹MAGISTRI GUILHELMI DE OCKAM *Super quatuor libros Sententiarum*, libri tertii, Quaestio X, ad secundum dubium; ad tertium dubium. Ed. 1495, s/f.

⁴⁰THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.56: ed. leon. 6, 355.

a.1⁴¹, etiam ipsa peccata externa, ut homicidium et delectatio morosa, in quantum peccata exteriora sunt, potius recipi in voluntate quam in aliis potentiis, nam huiusmodi actus externi non sunt peccata nisi in quantum sunt libere voliti, scilicet, denominatione extrinseca a volitione. Quare secundum hanc rationem potius videntur esse in eo subiecto in quo est forma denominans quam in quo sunt ipsae actiones denominatae, sicut album sub ratione visi potius est in oculis quam in pariete. RESPONDET 3^o Caietanus⁴²: licet sit aliquod peccatum interius quod non habeat coniunctum peccatum exterius, ut supra dub.1, nihilominus omne peccatum exterius coniunctum cum interiori peccato est veluti quaedam pars integralis illius non pertinens ad essentiam eius, efficitque moraliter unum peccatum cum interiori, ut dictum est q.20, a.3⁴³. Quare licet peccatum exterius recipiatur in aliis potentiis a voluntate, non sequitur aliquod peccatum integrum non subiectari in voluntate, sed tantum sequitur partem aliquam minus praecipuam peccati non subiectari in voluntate sed in alia potentia. Unde constat unum idemque peccatum subiectari posse in pluribus potentiis secundum plures partes quas habet; quae partes non uniuntur inter se physice, sed moraliter, ut dictum est loco citato.

⁴¹THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2., q.74, a.1: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.36, III.

⁴²THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2., q.74, a.1: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.36.

⁴³No conocemos este comentario.

Dubitatur 3^o

**Utrum in aliis potentiis a voluntate
sint peccata formaliter.**

**Ubi quid intersit inter peccata
diversarum potentiarum**

[f.232v]

Haec quaestio universaliter tam de bonitate quam de malitia tractata est in q.20, a.3. Quapropter breviter tradenda erit eius resolutio.

1^o. *Peccatum sumi potest pro obiecto turpi* qua ratione obiectum est, scilicet quatenus tale est ut contra rectam rationem sit illud amplecti et haec ratio peccati obiectivi saepe convenit formaliter et intrinsece actui alterius potentiae a voluntate, sicut actus erroris habet intrinsecam dissonantiam a ratione propter quam ex ratione sua indignus est ut illum amplectatur voluntas. Similiter etiam delectatio morosa quae est in appetitu sensitivo resultans ex cogitatione nefanda est essentialiter et formaliter obiectivum peccatum. Aliquando vero peccatum existens in aliis potentiis est sola denominatione extrinseca peccatum obiectivum, sicut delectatio quae est in appetitu sensitivo ex cogitatione rei venereae cum femina est peccatum obiectivum denominatione extrinseca, quia eadem numero delectatio appetitus sensitivi manere poterit et circa idem obiectum, licet addatur postea denominatio extrinseca qua mulier quae non erat propria fiat propria per contractum matrimonium.

2^o modo, et proprius accipitur nomen peccati pro ipso actu morali imputabili ad culpam. Sicque nulli actui alterius potentiae a voluntate convenit formaliter et intrinsece ratio peccati, sed denominatione extrinseca ab actu voluntatis. Ita docent Alexander, Albertus, D. Bonaventura, Scotus et Ricardus citati in dubio praecedenti. Et ex professo Durandus, 2, d.35, q.3⁴⁴; D.

⁴⁴DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.35, q.3: Amberes 1566, fol.191ra

Thomas, 3 Contra Gentes, cap.10⁴⁵; Aegidius, 2, d.39, q.1, a.2⁴⁶. Et hoc forte intendunt Caietanus⁴⁷, Medina⁴⁸ et alii in praesenti dum distinguunt peccatum in actu signato et in actu exercito.

Verum haec 2^a conclusio videbitur esse contra D. Thomam et veritatem: 1^o, quia ubi est formaliter et intrinsece habitus vitii, ibi est etiam formaliter actus peccati, cum habitus non sit in potentia nisi propter actus eiusdem potentiae; sed in intellectu est habitus infidelitatis formaliter, in appetitu sensitivo est formaliter habitus vitiosus intemperantiae et timiditatis; ergo in eisdem potentiis exis[f.233]tunt formaliter actus infidelitatis, intemperantiae et timiditatis. CONFIRMATUR, quia contraria sunt circa idem; sed in intellectu est habitus virtutis prudentiae et fidei et aliarum virtutum intellectualium, et in appetitu sensitivo est habitus fortitudinis et temperantiae; ergo in eisdem potentiis sunt vitia contraria et actus eorum. RESPONDEO virtutes existentes in intellectu et in appetitu sensitivo non habent completam et perfectam rationem virtutis nisi quatenus gubernantur et imperantur a voluntate et per illos intellectus et appetitus redduntur apti ut facile rationi pareant. Ita D. Thomas supra, q.56, a.2 et 3⁴⁹ et in sequenti a.4 ad 2. Albertus, 2 p., tract.15, q.92, memb.4⁵⁰; Henricus, quodlibeto 6, q.32 versus finem⁵¹; Ricardus, 2, d.24, a.4, q.1 ad 2⁵²; Aegidius, 2, d.24 in 2^a parte

⁴⁵THOMAS AQ., *Summa Contra Gentiles*, 1.3, c.10: ed. leon. 14,25.

⁴⁶AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum, Quaestiones*, d.39, q.1, a.1: Venecia 1581, t.1, 584S.

⁴⁷THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2., q.74, a.2: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.37

⁴⁸B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, 1.2., q.74, a.3: Venecia 1602, p.386b.

⁴⁹THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.56, a.2 y 3: ed.leon. 6,356s.

⁵⁰ALBERTUS MAGNUS, RATISBONENSIS EPISCOPUS, *Summa Theologiae*, 2 p., tract.15, q.92 : Opera Omnia t.33, Paris (1895) p.198.

⁵¹HENRICUS GOERBALS A GANDAVO, *Quodlibeta*, Quodl.6, q.32 : Paris 1528 (Reprod. Lovaina 1961), fol.CCLIIIIa.

⁵²RICARDUS DE MEDIIVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 1.2, d.24,

distinctionis, q.1, a.3, in primo dubio litterali via 2⁵³. Unde sequitur illos habitus licet essentialiter tendant in bonum obiectum, nihilominus non elicere actus moraliter bonos nisi ex imperio et motione voluntatis a qua recipiant extrinsece rationem actus moralis. Idem servata proportione dicendum est de habitibus vitiorum; quare actus infidelitatis vel imprudentiae existens in intellectu et actus timiditatis vel intemperantiae existens in voluntate non habebit rationem actualis peccati nisi in quantum a voluntate imperantur vel permittuntur. Vide quae diximus q. 71, a.2, dub.3, ad obiectionem 1^{am}54.

ARGUITUR 2^o contra eandem conclusionem, quia si actiones appetitus sensitivi essent peccata actualia sola denominatione extrinseca, sequeretur eodem modo esse peccata in exterioribus membris corporis; consequens autem est falsum; ergo et antecedens. RESPONDET D. Thomas hoc a.2 ad 3, actiones exteriorum membrorum esse transeuntes, et ideo non esse in illis membris sed in re extrinseca, sicut percussio non est in manu percutiente sed in re percussa. Qua in solutione advertit D. Thomam non negare quin actiones membrorum externorum dicendae sint peccata ut vere sunt peccata exteriora modo supra dicto. Sic enim homicidium, furtum et his similia dicuntur in Sacra Scriptura peccata et easdem actiones membrorum exteriorum oportet in confessione explicare. Quare membra externa dicuntur peccare quatenus causant eiusmodi actiones. Igitur D. Thomas tantum ait eiusmodi peccata exteriora non recipi ut in subiecto in membris externis. Verumtamen quia sunt aliquae actiones immanentes praeter actiones appetitus sensitivi et intellectus, ut sunt visio, auditio et tactus quae possunt esse peccata, ideo D. Thomas in solutione 3ⁱⁱ argumenti et in q.7 De malo, a.6c⁵⁵, addit aliam rationem propter quam actus appetitus sensitivi habeat rationem peccati proprius quam actus

a.4, q.1 ad 2: Brescia 1591, p.515a.

⁵³AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum, Quaestiones*, d.24, 2^a parte, q.1, a.3, dub.lat.: Venecia 1581, t.1, 277.

⁵⁴*Arch. Teol. Gran.*, 49 (1986) 290.

⁵⁵THOMAS AQ., *De Malo*, q.7, a.6: ed.leon. 23,175.

sensuum; ratio autem est quia appetitus sensitivus est quasi liber, quia non obedit rationi despotice, sed politice, ut docet Aristoteles 1^o Politicorum, c.3 a medio⁵⁶. Potest enim appetitus reniti rationi, et potest se movere ad id quod praecipit ratio.

In hac autem solutione observandum est non concedi a D. Thoma libertatem, sed quasi libertatem; in libertate autem duo reperiuntur: alterum est indifferentia ad utramque partem contradictionis aut contrarietatis positae omnibus requisitis ad operandum; et huiusmodi indifferentia nullo modo nec perfecte nec imperfecte convenit appetitui sensitivo, ut dicitur in a.3, dub.3, contra Caietanum. Sed praeterea ad libertatem pertinet quod potentia moveat se ipsam et non moveatur ab alia; quod enim movetur ab alio, subditur imperio alterius; et rursus appetitus sensitivus aliquo modo movet se ipsum, quia habet peculiare dirigens, scilicet aestimativam ostendentem peculiarem rationem boni, scilicet delectabilis sensui, ad quam rationem boni ex sua ratione intrinseca inclinatur appetitus et non ex motione voluntatis; at vero membra exteriora non habent insitam inclinationem ad aliquod obiectum nec proprios actus ad illud sed solum moventur a voluntate et appetitu.

Praeterea, quod appetitus moveat se ipsum probat D. Thomas a posteriori, quia reniti potest voluntatis imperio. Unde colligitur etiam quando sequitur voluntatis imperium aliqua vi intrinseca ferri et non solum voluntatis imperio, alioqui semper sequeretur aequaliter voluntatis imperium. Hoc autem modo non se movent membra externa. Sicut libertas simpliciter complet rationem actus moralis et requiritur ad rationem peccati ita hoc vesti[f.234]gium libertatis moventis se quodammodo perficit quodammodo rationem peccati et propterea in appetitu sensitivo peccatum est proprius quam in membris externis. Et huius praeterea inditium a posteriori sunt habitus vitiosi qui reperiuntur in appetitu sensitivo et non reperiuntur in exterioribus membris. Quod indicium est

⁵⁶ARISTOTELES, *De republica (Politicorum)*, 1.1, c.3: Lyon 1549, col.751. ARISTOTELES LATINUS, *Politica*, 1.1,[5], p.9, 4-6.

aliquam rationem principii moventis se ad malum esse in appetitu sensitivo quae non est in membris externis.

Ex nuper dictis colligere licet ordinem perfectionis inter ea peccata quae recipiuntur in aliis potentiis a voluntate. Nam in primo gradu sunt peccata intellectus, ut error, quibus magis intrinsece convenit deordinatio a ratione recta et ad quae aliquo modo se movet intellectus, siquidem non obedit despotice voluntati praesertim quoad determinationem iudicii, et ideo habitus virtutum et vitiorum sortitur. Supra, q.56, a.2.⁵⁷ - Et ad hunc gradum reduci possunt habitus vitii vel erroris existentes in voluntate aut intellectu quia sunt intrinsece mali.

In 2^o gradu sunt peccata appetitus sensitivi quae licet non sint tam intrinsece et ex sua ratione contraria virtuti, siquidem non sunt actus potentiae formaliter rationalis et intellectualis tamen sunt cum ea quasi libertate supra explicata; de quibus actibus late dicendum erit in articulo 3.

In 3^o gradu sunt peccata imaginativae quae propterea minus perfecte habent rationem peccati quam peccata appetitus sensitivi quia non consumatur motus et actus in illis sed essentialiter ordinantur ad actum intellectus nostri vel ad actus appetitus, ideoque habitus imaginativae non habet rationem virtutis nec vitii ita propriam ut habitus appetitus sensitivi; ut docet D. Thomas supra, q.56, a.5c et ad 1⁵⁸. Refert vero plurimum ad rationem virtutis in eis actu consummari opus, alias poterit aliquis male uti virtute; unde idem refert multum ad rationem vitii. Vide Caietanum ibi⁵⁹.

In 4^o gradu sunt actiones immanentes sensuum externorum quibus immerito rationem peccati negat Conradus, hoc a.2⁶⁰, et

⁵⁷THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.56, a.2: ed.leon.6,356.

⁵⁸THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.56, a.5 ad 1: ed.leon.6,361.

⁵⁹THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2., q.56, a.5: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.6, p.361.

⁶⁰CONRADUS KOELLIN, OP, *Expositio Commentaria... in Primam Secundae.. S.Th. Aq.*, q.74, a.2: Venecia 1589, p.558b.

propterea ponuntur in hoc gradu [f.234v] quia despotice obediunt, et ideo non habent habitum virtutis nec vitii. Et quantum ad hanc despoticam obedientiam est in eodem gradu peccati actio immanens virtutis motivae qua homo movet sua membra; sed in eo minus accedit ad rationem peccati quia non ita immediate excitat intellectum et voluntatem ad malum ut actio sensuum externorum. Vide Almain, 3 *Moralium*, cap.14⁶¹. Et minus perfecta est ratio peccati exterioris in operationibus potentiae vegetativae in quantum subduntur libertati, ut bene Scotus, 2, d.42, § Ad q.2 et § Ad q.3^{am} 62.

In 5^o gradu sunt actiones transeuntes ad extra et effectus illarum ex quibus illi minus improprie habent rationem peccati qui ex se habent aliquid malitiae ut vulnus mors vox aut scriptura convitium continens. Illi autem effectus qui ex se non habent malitiam nisi solum quia sunt per talem actionem improprissime dicuntur peccata ut filius ex fornicatione susceptus. Et propterea huiusmodi effectus non necessario explicandus est in confessione nisi vel propter restitutionem vel propter medelam et consilium fugiendi periculum.

Ex his colligitur peccata aliqua exteriora recipi in eo subiecto quod non peccat et quandoque in eo quod non potest peccare; si enim comburis alienas messes combustio est peccatum a te commissum, et tamen recipitur in messibus cum sit actus transiens. Item percusiones et vulnera recipiebantur in Christo ut in subiecto et tamen non erant peccata Christi Domini sed iudeorum et gentilium percutientium, denominatione extrinseca a mala voluntate illorum.

Ad confirmanda ea quae in hac quaestione dicta sunt atque ut aperiat via ad quaestionem sequentem videnda sunt quae diximus supra, q.72, a.6, de omisione, dubio 3⁶³, ubi constat quomodo sit peccatum actus qui quando fit non fit liber quamvis

⁶¹JACOBI ALMAIN, *Moralia quae vocatur*, 3, c.14: Paris 1526, fol.102.

⁶²JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, 2, d.42, q.4: ed Vivès, 13, 471 y 474.

⁶³*ArchTeolGran*. 56 (1993) 233.

tempore praecedenti liberum fuerit reicere causam illius actus de quo etiam dicendum erit q.76, a.3, dubio 2 et dubio 14.

Dubitatur 4^o

**Utrum sint peccata externa illi effectus
qui sequuntur ex mala voluntate iam revocata.**

Ubi de censuris illorum peccatorum

[f.235]

Haec quaestio est magni momenti in re morali. Exemplum illius sit: Petrus praecipit occidi clericum, et antequam occideretur poenituit mandati et revocare voluit sed non potuit. Quaeritur utrum occisio clerici postea patrata propter eius mandatum *si id* [sit] peccatum exterius Petri ac proinde Petrus sit irregularis et excommunicatus.

Aliqui existimant in hoc casu homicidii peccatum non committi a Petro quando clericus occiditur sed tantum quando praecipit homicidium. Ita Gabriel, 2, d.42, a.2; Sotus, 4, d.12, q.1, a.7, § Hinc fit⁶⁴; Corduba, 2 Quaestionarii, q.18, § Ex dictis patet et q.23, col. penultima (ubi falso citat Adrianum et Henricum); Medina, supra, q.71, a.5, col. ultima⁶⁵; Henricus, 2 De poenitentia, c.5, n.5, littera a⁶⁶; tribuitur Cano et aliis neotericis; favet Henricus, quodlibeto 6, q.32⁶⁷.

Fundamentum est quia mors clerici non potest imputari Petro nisi propter volitionem illius, ut constat ex praecedentibus; sed iam revocata est haec voluntas et abolita per poenitentiam. CONFIRMATUR 1^o, quia post poenitentiam non solum physice non

⁶⁴D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum, tomus primus*, d.12, q.1, a.7, § *Hinc fit*: Salamanca, 1557, p.556b.

⁶⁵B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, 1.2., q.71, a.5: Venecia 1602, p.363b.

⁶⁶HENRICUS HENRIQUEZ, *Theologiae moralis Summa, Libro IIII seu de Poenitentia*, 1.2, c.5, n.5 a: Salamanca 1591, tom.1, p.336a.

⁶⁷HENRICUS GOERBALS A GANDAVO, *Quodlibeta*, Quodl.6, q.32 : Paris 1528 (Reprod. Lovaina 1961), fol.CCLIs.

manet talis voluntas sed nec moraliter, quia peccata mortalia non manent moraliter post veram poenitentiam, siquidem iam non imputantur. CONFIRMATUR 2^o, quia tunc illud homicidium est omnino involuntarium Petro. CONFIRMATUR 3^o, quia, si illa mors esset peccatum Petri sequeretur Petrum permanentem in gratia committere peccatum mortale. 4^o, SEQUERETUR beatum peccare si iam esset in coelo postquam poenituit mandati antequam sequeretur homicidium. 5^o, quia SEQUERETUR aliquem peccare quando non potest vitare peccatum. 6^o, SEQUERETUR aliquando teneri Petrum committere peccatum: si enim Petrus vellet non satisfacere praecepto communicandi in paschate et ex ea voluntate comedisset aliquid ingrediente die 8^o paschae, si omissio communionis postea sequuta illi imputaretur ut peccatum, sequeretur quod teneretur committere peccatum [f.235v] quia tenetur non communicare qui non est ieiunus. CONFIRMATUR 7^o quia alias diurnitas morbi sequuta ex causa data, ut ex veneno, esset explicanda in confessione. CONFIRMATUR 8^o quia ii effectus non sunt actiones humanae siquidem etiamsi homo sit mentis compos et liber quando sequuntur et velit illas cohibere non potest; ergo non sunt peccata.

Nihilominus sit CONCLUSIO: *proprie est peccatum externum ille effectus malus qui sequitur ex mala voluntate, quamvis iam per poenitentiam revocata fuerit.* Atque in exemplo posito mors clerici erit peccatum Petri. Ita tenet Glossa, cap. *Quia vero*, d.6 fine⁶⁸; Henricus, quodlibeto 3, q.26⁶⁹ late, et ait oppositum esse contrarium dictis sanctorum et philosophorum, quae adducit, et esse irrationabile. Eandem conclusionem docent plures docti iuniores.

PROBATUR 1^o a priori, quia peccatum exterius est omnis actus inordinatus causatus a mala voluntate et imputabilis rationi illius; sed huiusmodi est mors clerici quae sequitur; ergo est peccatum

⁶⁸Cf *Decretum Gratiani... una cum Glossis*, libro V De sententia excom. cap.VI: ed. Roma 1582, t.2, col.1880. Friedberg 2 891.

⁶⁹HENRICUS GOERBALS A GANDAVO, *Quodlibeta*, Quodl.3, q.26 : Paris 1528 (Reprod. Lovaina 1961), fol.LXXXVv.

exterius Petri. Huius rationis vis magis constabit ex solutione argumentorum. 2º PROBATUR quia respublica saecularis capite damnabit Petrum propter tale homicidium sacrilegum licet inditiis vehementibus aut per revelationem constet Petrum poenituisse mandati et rediisse in gratiam Dei antequam sequeretur mors clerici, quia vere sua culpa occidit clericum. Ita colligitur ex legibus quas adducit Glossa statim citanda.

Et idem Petrus incurreret irregularitatem ut homicida et excommunicationem ut praecursor [percusor] clerici, ex fere omnium sententia, quam tradit Glossa, cap. *Mulieres*, *De sententia excommunicationis*, verbo *Auctoritate*, ubi probat multis legibus⁷⁰; Hostiensis, eodem titulo⁷¹; Angelus, *Excommunicatio*, § 32 Ex directo; Sylvester, *Excommunicatio*, 6, nº 5, particula 3⁷², ex Galfredo et Summa confessorum; Castro, fuse, 2 De lege poenali, cap. 14, conclusione⁷³; Covarrubia in Clementinae, *Si furiosus*, p.2, Initio, nº 9, versic.5º *Ex iis*⁷⁴, ubi pro hac sententia citat Felinum, Alexandrum, Bartholum et communiter Doctores in dicto capite *Mulieres*; Navarro, c.27, nº 233⁷⁵; Medina, q.71, a.5, col. ultima⁷⁶. [f.236]

Ab hac sententia ex parte dissentiunt Ioannes Andreas et Bartholus frixiensis quos refert et sequitur Glossa, cap. *Cum quis*, *De sententia excommunicationis* in 6⁷⁷, et Taviena, *Excommuni-*

⁷⁰*Decretum Gratiani... una cum Glossis*, libro V De sententia excom. cap.VI *Mulieres*, verbo *Auctoritate* : ed. Roma 1582, t.2, col.1880.

⁷¹Véase nota anterior: en la misma columna, en nota marginal, cita al Hostiense (Leo Marsicanus, Obispo de Ostia).

⁷²SYLVESTER PRIERAS, *Summa Sylvestrina, quae merito Summa Summarum...*, *Excommunicatio*, 3, tertio: Lyon 1593, 376b.

⁷³ALFONSO DE CASTRO, *De potestate legis poenalis libri duo*, 1.2, c.14: Amberes 1568, f.295.

⁷⁴DIDACUS COVARRUVIAS A LEYVA, *Clementinae, Si furiosus, de Homicidio*, 2ª p., Initio, n.9, 5º *ex iis*: Salamanca 1560, fol.32.

⁷⁵M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.27, n.233: Roma 1590, p.531b-532.

⁷⁶BARTHOLOMEUS A MEDINA, *Expositio in Primam Secundae A.D.D. Thomae Aquinatis*, q.71, a.5: Venetiis 1602, col.363.

⁷⁷C.I.C., *De sententia excommunicationis*, V, 11, in VI: Friedberg II, 1105,

catio, 5, casu 1^o, dicentes Petrum in eo casu non esse excommunicatum in foro interiori sed in exteriori. Imo, absolute non esse excommunicatum docet Innocentius in dicto capite *Mulieres*. Verumtamen firmiter ratione nititur communis sententiae.

Si autem petas utrum Petrus in dicto casu maneat excommunicatus etiamsi ante executionem mortis redierit in gratiam Dei, RESPONDEO affirmative, ut docet aperte Sylvester citatus⁷⁸ ex Rainelio illis verbis *licet sit perfecte contritus*; Paludanus, 4, d.14, q.3, a.3, n^o 27⁷⁹; Zumel, q.71, a.5, disp.6⁸⁰, cum Vitoria, et alii docti iuniores. Et PROBATUR, quia licet Petrus redierit in gratiam, adhuc capax est excommunicationis, saltem quoad effectum carendi exteriori communicatione sacramentorum et fidelium, siquidem certum est eum qui in mortali excommunicatus est licet postea vera contritione redeat in Dei gratiam, manere adhuc excommunicatum saltem quoad illum effectum. Cum ergo ille homo capax sit excommunicationis et tunc perficiatur ab eo homicidium clerici, ut probatum est, incurret excommunicationem.

Ex eisdem principiis COLLIGITUR 1^o: si Petrus, qui praecipit homicidium clerici, removet mandatum antequam occidatur clericus, ita ut mandatarius sciat revocatum esse mandatum, ex animo et non fecte, Petrus non erit excommunicatus nec irregularis ut docent omnes Doctores nuper citati; et idem eadem ratione dicendum erit si quamlibet aliam causam damni Petrus dedit et re integra cavit ne causa sortiretur effectum, nam quamvis postea secutum sit damnum aut mors, et quamvis alter occasionem sumpserit ex priori mandato ad inferendum damnum vel mortem, iam id non erit culpa Petri.

c.23. Ed.Roma 1582 2 748.

⁷⁸SYLVESTER PRIERAS, *Summa Sylvestrina, quae merito Summa Summarum...*, Excommunicatio, 3, tertio: Lyon 1593, 376b.

⁷⁹PETRUS A PALUDE, *Lucubrationum opus in quartum Sententiarum*, d.18, q.3, a.3, n.27: Salamanca 1552, p.231.

⁸⁰FRANCISCUS ZUMEL, *In Primum Secundae Divi Thomae*, q.71, a.5: Salamanca 1594, p.94.

COLLIGITUR 2^o: si Petrus consulit Paulo homicidium clerici et postea revocat consilium et consulit oppositum, nihilominus incurrit censuras [f.236v] dictas si Paulus interficit clericum impulsus rationibus et consiliis quae prius accepit a Petro. Et ratio est quia tunc Petrus suo consilio permanet ut causa talis homicidii, nam primum consilium manet infixum in voluntate Pauli quasi semen quod radices egit et Petrus conatus est evellere sed non potuit. Si tamen Paulus exsequatur homicidium non propter 1^{um} consilium Petri et propter rationes illius sed propter rationes et consilia alterius, tunc Petrus non erit homicida clerici atque adeo non incurret censuras.

Cum hac regula moraliter coincidit licet metaphysice non nihil differat sententia dicentium Petrum consulentem in tali casu incurrere censuras nisi persuadeat Paulum ne occidat. Ita docet Abbas, capite *Ad audientiam*, de homicidio, cum Innocentio⁸¹; Sylvester, *Homicidium*, 1^o, n^o 11, q.7, particula 3, et q.8, particula 6⁸²; Navarrus, c.27, n^o 233⁸³; Corduba, lib. *Casuum*, q.173 fine⁸⁴ (quidquid dicat Taviena, *Irregularitas*, 2^o, § 12, et Navarrus, 3 *De restitutione*, c.4 a n^o 27). Dixi hanc sententiam metaphysice dissidere a praedicto corollario quia continget aliquando Petrum qui dedit consilium non persuadere oppositum et Paulum patrare homicidium prorsus independenter a consilio Petri, ac si tale consilium numquam audivisset, et tunc Petrus non erit homicida clerici nec irregularis et excommunicatus. Verumtamen quia vix aut ne vix quidem constare potest an Paulus operetur ex vi consilii iam revocati a Petro nisi Petrus illi

⁸¹C.I.C. c.12, X, De homicidio, V 12: Roma 1582, 2 1705; Friedberg II, col.797.

⁸²SYLVESTER PRIERAS, *Summa Sylvestrina, quae merito Summa Summarum...*, Homicidium, I, n^o11, q.7, tertio y q.8, sexto: Lyon 1593, 493a, 494a.

⁸³M. DE AZPILCUETA, [DR. NAVARRUS], *Enchiridion sive Manuale confessoriorum et poenitentium*, c.27, n.233: Roma 1590, p.531b-532.

⁸⁴FRAY ANTONIO DE CORDOVA, *Tratado de casos de conciencia*, Question 173: Alcalá de Henares 1592, fol.432v.

persuaserit oppositum, ideo, quod attinet ad praxim, in idem redit regula horum Doctorum.

Hinc sequitur 3^o: ratio discriminis propter quam sufficit revocare mandatum ut aliquis non sit responsabilis facinoris postea commissi a mandatario, et tamen non sufficit revocare consilium. Ratio autem est quia mandatarius ut sic non operatur nisi ad complendam voluntatem et imperium mandantis, unde quando scit imperantem velle ut non fiat quod imperavit, si forte mandatarius aliquid effi[f.237]cit, iam non agit ut exsequatur mandatum. At vero qui consilium accipit non accipit ut impleat voluntatem aut deliberationem illius qui praebet consilium sed accipit ut secundum illud se gubernet in suam utilitatem vel alterius et ideo potest virtute consilii accepti agere, licet oppositum consulatur illi postea ab eodem; et hoc vult Bartolus lege *Non solum* § *si mandato* ff. de iniuriis, versiculo *venio ad materiam*⁸⁵, dicens in mandato rem fieri ob voluntatem mandantis at vero in consilio rem agit eius cui datur consilium. Idem fere Navarrus, supra.

Verum redeamus ad vim huius 2ⁱ argumenti cui adversarii se satisfacisse existimant dicentes esse rationem sufficientem incurrendi irregularitatem et alias censuras dedisse libere causam sufficientem occisioni et secutam fuisse postea occisionem. - Haec doctrina vera est sed non solvit argumentum, quia dedisse libere causam sufficientem occisioni et secutum fuisse effectum nulla ratione, non esset ratio incurrendi irregularitatem nisi illud vere fuisset homicidium exterius, nam pro solo homicidio exteriori imposita est talis poena irregularitatis, quare illud 2^{um} argumentum si recte teneatur efficaciter probat homicidium illud esse peccatum exterius.

3^o PROBATUR eadem conclusio, quia Petrus in casu dicto, si secuto homicidio confiteretur, teneretur explicare homicidium secutum, quamvis iam revocata fuisset eius voluntas; ergo illud homicidium est peccatum exterius; etenim nullus in confessione

⁸⁵Véase *Decretum Gratiani... una cum Glossis*, libro V tit. 36 De iniuriis: ed. Roma 1582, t.2, col.1855 y nota marginal.

tenetur explicare nisi peccata vel interiora vel exteriora (seclusa necessitate consilii et medicinae) nec opus est addi novam malitiam peccato exteriori, ut explicandum sit in confessione, de quo dixi supra, q.20, a.4, praesertim ad 9⁸⁶.

PETIS quid si ille qui causam dedit homicidio iam illud in confessione explicaverit antequam sequatur homicidium, numquid tenebitur postea iterum confiteri quando re ipsa secutum fuerit homicidium. Soto, 4, d.12, q.1, [f.237v] a.7, § *Hinc fit*⁸⁷, RESPONDET affirmative, quamvis eandem doctrinam sub dubio neget in simili eventu de pollutione, quia non est adeo enorme peccatum ut homicidium. VERUM haec ratio discriminis non est sufficiens quia omne peccatum exterius explicandum est in confessione nec redditur sufficiens ratio propter quam opus sit explicare peccatum exterius quando in eadem confessione explicatur peccatum interius, non vero quando in alia confessione dictum fuit peccatum interius. CONFIRMATUR, quia qui post patratum homicidium confiteretur solam deliberationem occidendi ignorans vel oblitus utrum explicandum esset opus, tenebitur postea explicare opus exterius homicidii.

Igitur in hac difficultate DICO tria: 1^{um} *communiter effectus secutus ex voluntate revocata et iam explicita in confessione est necessario explicandum in alia confessione*, quia illius explicatio est communiter necessaria ad percipiendam gravitatem et vim causae voluntariae. Et hoc est certum.

2^{um}. *Metaphysice loquendo possibile est ut explicetur vis et gravitas causae certo et evidenter, quamvis non explicetur effectus de facto secutus*, veluti si constet quam letale fuerit vulnus licet non declaretur mortem fuisse de facto secutam, quo in casu probabilius existimo effectum explicandum esse confessione etiamsi in alia priori confessione explicata fuerit tota causa et tota illius malitia. Quod probo ratione nuper adducta contra Sotum.

⁸⁶No conocemos este comentario.

⁸⁷D. SOTO, OP, *Commentariorum... in Quartum Sententiarum, tomus primus*, d.12, q.1, a.7, § *Hinc fit*: Salamanca, 1557, p.556b.

3^{um}. *Sicut probabilis est 1^a opinio dicens huiusmodi effectus secutus ex voluntate mala iam revocata non esse peccata externa ita probabile est et tutum in praxi non esse necessario explicanda in confessione dummodo explicetur bene et complete malitia causae et vis ad inferendos hos effectus.*

Ad argumenta initio proposita RESPONDEO ad 1^{um}: illa voluntas qua Petrus voluit homicidium est iam revocata quoad suum esse physicum et abolita est iam moraliter quoad imputabilitatem, praesentem quia iam persona non displicet Deo propter illam. Nihilominus illa voluntas homici[f.238]dii manet adhuc quoad vim causandi homicidium, quam reliquit quasi in semine, ac proinde adhuc manet denominatio extrinseca exterioris homicidii proveniens a praeterita voluntate Petri. - Et hinc constat solutio 1^{ac} confirmationis.

Ad 2 confirmationem RESPONDEO illud homicidium tunc esse Petro voluntarium et involuntarium denominatione extrinseca a diversis volitionibus; nam in ordine ad volitionem praesentem est involuntarium, at vero in ordine ad volitionem praeteritam est modo voluntarium hoc homicidium.

Ad 3 et 4 confirmationem RESPONDEO: eiusmodi peccata referenda sunt ad Petrum pro eo tamen tempore quo libere dedit causam illorum, quare hoc homicidium quod modo fit, quamvis sit peccatum exterius Petri qui est in gratia vel in gloria, sed non est peccatum quod Petrus committat modo sed quos commisit quando non erat in gratia.

Hinc RESPONDEO ad 5 et 6 confirmationem. Nam quando homo non potest vitare eam actionem quae sibi est peccatum exterius sed potius obligatur ad illam, tunc non elicit eam actionem sub ea ratione qua peccatum est, sed antea libere commisit eam actionem quae modo est in re et est peccatum denominatione extrinseca a praeterita libera voluntate.

Ad 7 confirmationem [RESPONDEO] : concedo consequentiam iuxta ea quae diximus ante solutionem argumentorum.

Ad 8 RESPONDEO etiam illas actiones quae sequuntur ex naturalibus agentibus valde remotis a nobis et quando nos non

possumus eas impedire esse actiones humanas et nostras respectu illius temporis quo illas volumus cum possemus impedire.

Articulus 3

Utrum in sensualitate possit esse peccatum

Sensualitatis nomen aliquando significat inferiorem portionem rationis vel intellectus [f.238v] et voluntatem ut intendunt rationibus temporalibus, quod in Sacra Scriptura diligenter observari praecipit Magister, 2, d.24, fine⁸⁸. Quandoque significat eum appetitum qui nobis est communis cum brutis nihil mali denotando, de quo D. Thomas, 1.p., q.81⁸⁹; et Ricardus, 2, d.24, a.2, q.5⁹⁰. Frequentius tamen in malam partem accipitur praesertim in exhortationibus ad virtutem, sonat enim appetitum sensitivum quatenus ad sensibilia deprimit rationem, ut docet Albertus, Alexander et Altissiodorensis apud Dionysium, 2, d.24, q.4 versus finem⁹¹. Gerson, *Alphabeto* 29, littera P et duabus sequentibus; Durandus, 2, d.24, q.5⁹². - Ad sequentes vero quaestiones parum refert in malam vel in bonam partem accipi dummodo sensualitas semper significet potentiam animalem et corpoream.

Dubium 1^{um} esse posset

Utrum concupiscentia sit peccatum originale

Sed de hoc infra, q.82, a.3.

⁸⁸PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.24, c.13: ed. Quaracchi 1916, t.1, p.428.

⁸⁹THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.81: ed.leon. 5,288.

⁹⁰RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 1.2, d.24, a.2 q.5: Brescia 1591, p.305.

⁹¹DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In Sententiarum librum II, commentarii locupletissimi*, d.24, q.4 : Venecia 1584, p.436a.

⁹²DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.24, q.5: Amberes 1566, fol.173r-v.

Dubitatur 2°
Utrum in appetitu sensitivo secundum se
possit esse mortale peccatum

Secundum se dico, ut excludam consensum voluntatis, de quo in dubio 4, articulo 4.

Luterus apud Roffensem⁹³, et Calvinum apud Vegam⁹⁴ damnant peccati mortalis omnem motum appetitus sensitivi licet voluntas non consentiat. Quem errorem quibusdam haereticis suppresso nomine tribuit Chrysostomus, sermone 5 in Caput 2 Ad Romanos⁹⁵. PROBANT, quia hi omnes motus prohibentur illa lege *Non concupisces*, ut constat Ad Romanos 7 [7] *Concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret non concupisces*, quod haeretici sic intelligunt: ratione naturali non potest cognosci hanc concupiscentiam esse peccatum nisi lex ita affirmaret⁹⁶.

CONFIRMATUR 1°, quia ibidem a Paulo concupiscentia appellatur peccatum, unde Augustinus, Ps.31 ait Deum odisse [f.239] concupiscentiam qui solum odit peccatum.

CONFIRMATUR 2°, ex Augustino multis aliis in locis appellante concupiscentiam peccatum, ut 12 Super Genesim ad litteram, c.1 et 2; Contra Pelagianos, c.16, ex concupiscentia relicta in Paulo, 2 Cor.12 [7], infert illum non fuisse sine peccato⁹⁷; et 1 De nuptiis et concupiscentia, c.25 et 29 docet multum boni fieri ab eo qui implet illud Eccli 18 [30], *post concupiscentias tuas ne eas*, verum a nullo perfecte servari in hac vita illam legem⁹⁸;

⁹³I. FISCHER ROFFENSIS, *Assertionis lutheranae confutatio*: Wirceburg 1597, [1967] col.346s, 617-622.

⁹⁴A. VEGA, OFM, *De iustificazione doctrina universa libri XV*, 1.14, c.4: Colonia 1572, p.612.

⁹⁵JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In epist. Ad Romanos, Homil. 5*: PG 56 421.

⁹⁶JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In epist. Ad Romanos, hom.12*: PG 56, 500s.

⁹⁷AUGUSTINUS, *Contra duas epistolas pelagianorum*, 1.1, c.9, n.16: PL 44 559.

⁹⁸AUGUSTINUS, *De nuptiis et concupiscentiis libri duo*, 1.1, nn.25-29: PL

Exodo 20 [17], *non concupisces*⁹⁹; vide eodem libro c.30 et infra per multa capita; et 12 De Trinitate, cap. 11 et 12¹⁰⁰ ait sensualitatem esse perpetuae corruptionis quamdiu in hac mortali vita vivimus, et propterea per serpentem significari; vide Contra Iulianum versus finem¹⁰¹; et 1.5, c.3¹⁰² et 1.6, c.8¹⁰³; et 1 De verbis Apostoli¹⁰⁴.

CONCLUSIO DE FIDE est *motus concupiscentiae non esse peccata mortalia nisi accedente voluntatis consensu*. Hanc contra Luterum probat Iacobus Latomus scribens pro defensione determinationis Iovaniensis; Rophensis contra Luterum, a.2¹⁰⁵; Castro, verbo *praeceptum*, fine¹⁰⁶; Vega, 14 in Tridentinum, c.4, initio¹⁰⁷; Bellarminus, tomo 3 *Controversiarum 2, De amissione Gratiae et statu peccati*, lib.5, c.7¹⁰⁸.

PROBATUR 1^o ex Tridentino, sess.5, § *Si quis per Iesu Christi* ubi expresse definitur in baptizatis concupiscentiam non esse vere et proprie peccatum, sed ita appellari aliquando a Paulo, quia ex peccato Adami processit et ad peccatum inclinatur, modo explicato q.71, a.2, dub.3¹⁰⁹. Et paulo ante docuerat Tridentinus¹¹⁰ in baptizatis manere concupiscentiam verum illa nocere non posse

44 428ss.

⁹⁹AUGUSTINUS, *In Heptateucum*, Gen, 20,17: PL 34 620s.

¹⁰⁰AUGUSTINUS, *De Trinitate libri XV*, l.12, c.11s : CCL 50 370s ; PL 42 1006s.

¹⁰¹AUGUSTINUS, *Contra Iulianum opus imperfectum*: PL 45 1608.

¹⁰²AUGUSTINUS, *Contra Iulianum opus imperfectum*, 1.5, c.3: PL 45 1454.

¹⁰³AUGUSTINUS, *Contra Iulianum opus imperfectum*, 1.6, c.8: PL 45 1514.

¹⁰⁴AUGUSTINUS, *De verbis Apostoli* (Ro 7): PL 38 814-819, etc.

¹⁰⁵I. FISCHER ROFFENSIS, *Assertionis lutheranae confutatio*, a.2 : Wirceburg 1597, cols.341-377.

¹⁰⁶ALFONSUS A CASTRO, *Adversus omnes haereses libri quatuordecim*, Amberes 1565, fol.374.

¹⁰⁷A. VEGA, OFM, *De iustificatione doctrina universa libri XV*, l.14, c.4: Colonia 1572, p.612.

¹⁰⁸ROBERTUS BELLARMINUS, *Controversiarum de amissione gratiae sive de statu peccati*, 1.5, c.7 : ed. Vivès, t.5, 1873, p.405ss.

¹⁰⁹*ArchTeolGran* 49 (1986) 284.

¹¹⁰CONCILIIUM TRIDENTINUM, sess.5, 5: Dz 1952, 792.

nisi consentientibus. Ex his verbis inferunt aliqui non baptizatis concupiscentiam esse peccatum proprie et nocere posse etiam non consentientibus; cui sententiae valde [f.239v] favet Henricus, quodlibeto 6, q.32¹¹¹, cuius fundamenta referre et impugnare non vacat. Vide Zumel in hoc a.3, disp.2, § *Secundo colligunt*¹¹² et quae dicemus infra, dub.4 in conclusione, et quae diximus ante q.72 in q.89, a.5¹¹³, ubi constat minorem rationem esse ut imputentur ad peccatum actuale infidelibus quam fidelibus motus concupiscentiae.

Verum cum fere semper argumentum ab auctoritate negative sit infirmum, id peculiari ratione deficit, quia Concilium ibi sermonem instituerat de baptizatis, de quibus et concertatio erat cum Lutero et non de aliis, ideoque de baptizatis definivit nulla facta mentione aliorum. Vide quae D. Thomas q.89, a.5 ad argumentum¹¹⁴, ubi circa Paulum Ad Romanos 8 [1], dicentem *nihil damnationis est iis qui sunt in Christo, qui non secundum carnem ambulant*, notat hoc non propterea dici quod concupiscentia imputetur infidelibus ut peccatum actuale licet non ambulent secundum carnem, sed quia illa concupiscentia infidelibus signum est damnationis propter peccatum originale non vero baptizatis. Et eodem modo explicat Anselmus, lib. De concordia gratiae et liberi arbitrii, a medio¹¹⁵, qui videbatur asserere motus concupiscentiae esse peccata mortalia in infidelibus non consentientibus.

2^o PROBATUR conclusio simul ex Scriptura et Patribus. Sic enim Chrysostomus, Hom.19 ad populum, longe post medium¹¹⁶: *concupiscere, inquit, naturale est, male vero*

¹¹¹HENRICUS GOEBALS A GANDAVO, *Quodlibeta*, Quodl.6, q.32 : Paris 1528 (Reprod. Lovaina 1961), fol.CCLII.

¹¹²FRANCISCUS ZUMEL, In Primam Secundae Divi Thomae, q.74, a.3: Salamanca 1594, p.301.

¹¹³*ArchTeolGran* 55 (1992) 267.

¹¹⁴THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.89, a.5: ed.leon., t.7, 145s.

¹¹⁵ANSELMUS CANTUARIENSIS, *Concordia praescientiae et praedestinationis nec non gratiae Dei cum libero arbitrio*, : PL 158,530.

¹¹⁶IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homilia 19 ad populum antiochenum*: PG 49

concupiscere iam est voluntatis. Idem docet hom. 17 in Mt¹¹⁷ et sermone 5 in cap.2 Ad Romanos, in ea verba *sicut non probaverunt ut Deum agnoscerent, ita tradidit Deus illos in reprobam mentem ut facerent ea qua ea quae non conveniebant*¹¹⁸. Discrepant haec nonnihil a Vulgata praesertim voce *illam mentem*, ubi nos legimus *sensum*. Et ex illa voce Chrysostomus infert docere Paulum peccatum non a concupiscentia, ut quidam haeretici putabant, sed a sola ratione proficisci. Et 2 Ad Ephesios, sermone 5¹¹⁹ in exhortatione morali eleganter docet concupiscentiam non esse malam nisi cum se extulerit supra aurigam et rationem superaverit. Quam sententiam D. Augustinus, 12 Super Genesim ad Litteram, cap.11¹²⁰ colligit acute ex Paulo Ad Romanos 6 [12] suadente non quidem ut non sit in nobis [f.240] peccatum, docuit enim statim cap.7 in nobis habitare peccatum, scilicet concupiscentiam etiam nolentibus nobis; sed *ut non serviamus peccato; et non regnet peccatum in vestro mortali corpore ut obediatis concupiscentiis eius*. Unde Beda in Ps. 50 prope initium¹²¹, peccatum, inquit, est in corpore cum delectaris sed dominatur cum consenseris; et Augustinus, De sermone Domini in monte, c.33¹²², propterea notat Iesum non dixisse moechatum esse in corde suo illum qui concupierit mulierem sed illum qui viderit *ad concupiscendum*, i.e., eo animo et deliberatione ut scilicet indicaret plenum consensum rationis et non solam delectationem carnis. Quod idem notat D. Hieronymus *Contra pelagianos*, c. 20¹²³; praeterea Augustinus, lib.1^o *Contra duas epistolas pelagianorum*, c.10, ex Paulo Ad Romanos

195.

¹¹⁷IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil. 17 in Mt.*: PG 576 255ss.

¹¹⁸IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In epist. Ad Romanos, Homil. 5*: PG 56 421.

¹¹⁹IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In epist. ad Ephesios, homil.5*: PG 62 41.

¹²⁰AUGUSTINUS, *De Genesi ad litteram libri duodecim*, 1.10, c.12: PL 34

416s.

¹²¹VENERABILIS BEDAE, *De Psalmorum libro exegesi*, Ps 50: PL 93 748C.

¹²²AUGUSTINUS, *De sermone Domini in monte libri duo*: CCL 35 37; PL

34, 1246.

¹²³HIERONYMUS, *Dialogi adversus pelagianos*: CCL 80 41, n.34; PL 23 550 n.33.

7 et 8, ita loquitur *carne servio legi peccati scilicet concupiscendo, mente autem servio legi Dei scilicet non consentiens eidem concupiscentiae; nihil enim damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu qui non secundum carnem ambulant*, non enim damnatur nisi qui concupiscentiis carnis consentit in malum¹²⁴. Praeterea in Ps 118, concio 2 et 3¹²⁵, et lib. 83 Quaestionum¹²⁶ in eundem sensum explicat illa verba Ad Romanos 7 [15] *quod operor non intelligo*, i.e. non approbo, non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum hoc facio, i.e., sunt in me quaedam carnalia desideria quibus non consentio sed renito; unde infert Paulus: *iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*, i.e., propterea mihi imputanda non sunt illa desideria. Vide Magistrum in Commentariis Ad Rom. 7¹²⁷ ex verbis Augustini variis in locis late deducentem hanc explicationem; et consonat D. Thomas hoc a.3, in *sed contra*. Et eandem fere explicationem tradit D. Bernardus, Sermone 81 in Cantica, fine¹²⁸.

Eandem conclusionem docet Augustinus 1^o De Civitate, c.25¹²⁹; D. Ambrosius, 1^o Officiorum, c.21¹³⁰; D. Gregorius, 4 Moralium, c.27¹³¹; D. Hieronymus, De virginitate ad Eustochium, c.2 et 3¹³²; D. Petrus Chrisologus, sermone 113¹³³; D.

¹²⁴AUGUSTINUS, *Contra duas epistolas pelagianorum*, c.10: PL 44, 559s.

¹²⁵AUGUSTINUS, *Enarrationes in Psalmos*, Ps 118, sermo 2 y 3: PL 36 1506s.

¹²⁶AUGUSTINUS, *De diversis quaestionibus octoginta tribus*, Q.66: CCL44A 157; PL 40 63s.

¹²⁷PETRUS LOMBARDUS, *Collectanea in omnes D.Pauli epistolas*, In epistolam ad Romanos, 7 : PL 191 1416-1431.

¹²⁸BERNARDUS, *Sermones super Cantica Canticorum*, sermo 81: Roma, t.2, 1958, p.290s.

¹²⁹AUGUSTINUS, *De Civitate Dei libri XXII*, 1.1, c.25 : CCL 47, p.26 21-28; PL 41, 38s.

¹³⁰AMBROSIUS, *De officiis ministrorum libri tres*, 1, c.21: PL 16 50ss.

¹³¹GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Iob*, 1.4, c.27: CCL 143 193; PL 75 601.

¹³²HIERONIMUS, *Epistula XXII, Ad eustochium (De Virginitate)* 2s: CSEL 146s; PL 22 395.

¹³³SANCTI PETRI CHRYSOLOGI *Collectio sermonum*, sermo CXIII: CCL 24A 690-693; PL 52 510ss.

Prosper, 3^o De vita contemplativa, c.4 et 6¹³⁴; et D. Bernardus, sermone 56 In Cantica, versus finem¹³⁵; Beda, in id Psalmi 118: *non enim qui operantur iniquitatem [f.240v] in viis eius deambulaverunt*¹³⁶; Hilarius, in id Ps 118 [29]: *viam iniquitatis amove a me*, dicens concupiscentiam non esse peccatum, sed viam ad peccatum¹³⁷. Favet Methodius apud Epiphanium in haeresim Origenis, q.64¹³⁸; et Basilius, lib. De virginitate, ultra medium¹³⁹. Denique hanc esse mentem antiquorum Patrum fatetur Calvinus apud Bellarminum, tom.3 Controversiarum 2, c.8¹⁴⁰.

3^o PROBATUR ex illis verbis Iacobi, c.1 [14s]: *unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus; deinde cum concupiscentia conceperit parit peccatum, peccatum vero, cum consummatum fuerit generat mortem*. Consummatum autem erit peccatum per consensum, quia nihil aliud est quod superveniens concupiscentiae possit consummare peccatum ut mortem generet nisi consensus. Ita intelligit Cyrillus, lib.4 in Ioannem, c.51¹⁴¹; D. Augustinus, 1.6 Adversus Iulianum, c.15¹⁴²; Beda¹⁴³ et Glossa ordinaria in eum locum; nec minus favet

¹³⁴Se atribuyó mucho tiempo a S. Próspero de Aquitania, pero es de JULIANO POMERIO, *De vita contemplativa*, 1.3, c.4; 6 : PL 59 479-483.

¹³⁵BERNARDUS, *Sermones super Cantica Canticorum*, sermo 56: Roma, t.2, 1958, p.117s.

¹³⁶VENERABILIS BEDAE, *De Psalmorum libro exegesi*, Ps 118: PL 93 1053s.

¹³⁷HILARIUS PICTAVIENSIS, *Tractatus super Psalmos*, Ps 118: PL 9 530.

¹³⁸EPIPHANIUS, *Adversus octoginta haereses*, 1.2, t.1, Haer.64: PG 41 (1087) 1111.

¹³⁹BASILIO DE ANCIRA, *De vera virginitatis integritate* : PG 30 806; (Divi Basilii Magni... opera, Amberes 1569, 546a.

¹⁴⁰ROBERTUS BELLARMINUS, *Controversiarum de amissione gratiae sive de statu peccati*, 1.5, c.8 : ed. Vivès, t.5, 1873, p.410.

¹⁴¹DIVI CYRILLI ALEXANDRINI EPISCOPI, *Super Evangelium Ioannis*, 1.4, c.51: Paris 1605, fol.523ra; PG 73 690.

¹⁴²AUGUSTINUS, *Contra Julianum haeresis pelagianae defensorem libri sex*, 1.6, c.15: PL 849.

¹⁴³VENERABILIS BEDAE, *Super Epistolas Catholicas expositio, Super Divi Iacobi Epistolam*, c.1: PL 93 14.

praesenti conclusioni explicatio Interlinealis et Lyrae¹⁴⁴, ut tunc concupiscentia dicatur concipere et parere peccatum quando allicit voluntatem ad consensum et consummari peccatum quando prodit in opus.

4 PROBATUR, quia omne peccatum debet esse liberum ut demonstratum est q.71, a.6, dub.4¹⁴⁵. Quare omnes auctoritates Sanctorum et Patrum ibi adductae probant efficaciter praesentem conclusionem.

Sed quia haeretici distinguunt duplex peccatum: aliud politicum et civile quale, inquit, est quod a philosophis definitur, et de huius ratione concedunt esse libertatem; aliud vero peccatum coram Deo, et ad hoc dicunt non requiri libertatem, ideo observa peculiariter contra haereticos praedictas auctoritates Sacrae Scripturae et Sanctorum adductas, q.71 citata, agere praesertim de peccato respectu Dei et quod a Deo imputatur in culpam, et ad hoc libertatem requirunt. CONFIRMATUR, quia esset iniustitia Dei nobis imputare quod non possumus vitare. Et ex eisdem principiis constat ri[f.241]diculam esse aliam haeticorum solutionem, scilicet concupiscentiam vere esse peccatum, sed non imputari a Deo.

5^o PROBATUR, quia si motus concupiscentiae essent peccata mortalia non possent inesse iusto; sed Paulus ad Romanos 7 [23], sensit *in membris suis legem repugnantem legi mentis suae*, et 2 Cor 12 [7] *datus est illi stimulus carnis qui eum colaphicet*, ubi stimulus carnis tentatio intelligitur esse ab Augustino, 2 Contra Pelagianos, c.16 et in Ps 58, concione 2¹⁴⁶; Theophilactus¹⁴⁷, Sedulio¹⁴⁸, Anselmo¹⁴⁹, D. Thoma¹⁵⁰ et Lyra¹⁵¹ in eum

¹⁴⁴ *Bibliorum Sacrorum* tomus VI cum *Glossa* ordinaria et NICOLAI LYRANI expositionibus, literali et morali. Iac 1: Lugduni 1545, fol.211r.

¹⁴⁵ *Archivo Teológico Granadino* 2 (1939) 266-275.

¹⁴⁶ AUGUSTINUS, *Enarrationes in Psalmos*, Ps 58, sermo 2: PL 36 709.

¹⁴⁷ THEOPHILACTUS, BULGARIAE EPISCOPUS, *Commentarius in epistolam II Ad Corintios*, c.12,7: PG 124,931.

¹⁴⁸ SEDULII SEXTI HYBERNENSIS, *In omnes Epistolas Pauli Collectaneum*, 2 *Cor.12* : Basilea 1528, fol.69v.

¹⁴⁹ ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De conceptu virginali et originali peccato*,

locum, quamvis non omnino reiiciant expositionem aliam qua, stimulus accipitur pro persecutoribus impediens progressum evangelii, ut intelligit Chrysostomus¹⁵² et Theodoretus¹⁵³ et Ecumenius¹⁵⁴. Cum igitur motus concupiscentiae inordinatus relictus in Paulo sit illa infirmitas in qua ex Dei oraculo perficienda sit virtus; ergo motus concupiscentiae non est peccatum mortale excludens virtutem et gratiam. Quare hos motus concupiscentiae reperiri in hominibus iustis docet Augustinus 1^o Retractationum, c.13 et 15¹⁵⁵; et habetur in Glossa Ad Rom.7, apud D. Thomam in sequenti a.4, in *Sed contra*, quod tandem confitetur Luterus, apud Bellarminus, tom.1 Controversia 5^a lib.2 De monachis, c.30, § Quae loca¹⁵⁶.

6^o, quia Dei praecepta non sunt impossibilia, imo 1 Ioan.5 [3] *mandata eius gravia non sunt*; et Mt 11 [30] *iugum meum suave est*, et Deuteronomio 30 [11] *mandatum hoc quod ego praecipio tibi hodie non supra te est nec procul positum* etc., quod adducit Paulus Ad Rom 10. Vide Chrysostomum, hom.63 ad populum antiochenum¹⁵⁷, quod Deus nihil grave praeceperit; sed plerumque est omnino impossibile nobis comprimere motus concupiscen-

c.4 : PL 158,437; *Concordia praescientiae et praedestinationis nec non gratiae Dei cum libero arbitrio*, : PL 158,530.

¹⁵⁰THOMAS AQ., *In epistolam II ad Cor*, 12: ed. Vivès 21 159.

¹⁵¹*Bibliorum Sacrorum* tomus VI cum *Glossa ordinaria* et NICOLAI LYRANI expositionibus, literali et morali. 2Cor 12: Lugduni 1545, fol.76v.

¹⁵²IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In epistolam II ad Corinthios*, hom.26: PG 61 577s.

¹⁵³THEODORETI CIRENSIS *In quatuordecim Sancti Pauli Epistolas Commentarius*, 2^a, c.12: Florentia 1552, p.292; PG 82, 450.

¹⁵⁴OECUMENII, TRICCAE EPISCOPI, *Commentarii in II ad Corinthios*, 12: PG 118 1166s.

¹⁵⁵AUGUSTINUS, *Retractationum libri duo* 1, c.13 y 15: CCL 57,38 y 46; PL 32 603s y 608.

¹⁵⁶ROBERTUS BELLARMINUS, *Quinta Controversia Generalis de membris Ecclesiae*, l.2 de monachis, c.30 § Quae loca : ed. Vivès, t.2, 1870, p.579.

¹⁵⁷IOANNES CHRYSOSTOMUS, *hom. 63 ad populum antiochenum* : Parisiis 1556, t.5, col.353.

tiae, quia non subditur rationi despotice sed politice, ut docet Aristoteles 1^o Politicorum, c.3¹⁵⁸ et nos quotidie experimur.

7^o, quia peccare non est nisi illius potentiae quae ratione ducitur, ut recte ait Beda in id 1 Cor 6 [12] *omnia mihi licent*. Et ratione probatur quia aliae potentiae non possunt versari circa honestum et turpe, quod a sola ratione agnoscitur; sed appetitus sensi[f.241v]tivus nec ratione utitur nec imaginativa quam sequitur cognoscit honestatem aut turpe, ut late probatum est in q.71, a.2, dub.3¹⁵⁹. Vide etiam in 1^o articulo huius quaestionis; ergo appetitus sensitivus seclusa ratione non potest peccare. Et quod appetitus sit in homine rationis particeps nihil refert nisi accedat rationis consensus.

CONFIRMATUR 1^o, quia concupiscentia dormientis non est peccatum quia non utitur ratione; ergo multo minus concupiscentia non consentientis. Ita arguit Augustinus, 1^o De Civitate, c.25¹⁶⁰. CONFIRMATUR 2^o, quia nihil amplius est in actu concupiscentiae hominis non consentientis quam in concupiscentia bruti ut peccatum sit.

Ad fundamentum haereticorum RESPONDEO illam legen Exod. 20 [17] *non concupisces* significare ne quis voluntarie et libere concupiscat; sicut *nom occides, non furaberis* et reliqua omnia praecepta significant similia peccata non esse libere committenda; etenim ut verba indicant praecepti vim, ita etiam indicant eorum obiectum esse quale requiritur ut praecipiat, scilicet quod positum sit in nostra potestate. Quod explicatur magis Eccli 18 [30] *post concupiscentias tuas ne eas*, et aliis locis Sacrae Scripturae supra allatis in 2 et 3 argumento. De quo vide Augustinum De nuptiis et concupiscentia, c.23¹⁶¹.

¹⁵⁸ARISTOTELES, *De republica (Politicorum)*, 1.1, c.3: Lyon 1549, col.751. ARISTOTELES LATINUS, *Politica*, 1.1,[5], p.9, 4-6.

¹⁵⁹*ArchTeolGran*, 49 (1986) 283-293.

¹⁶⁰AUGUSTINUS, *De Civitate Dei libri XXII*, 1.1, c.25 : CCL 47, p.26 21-28; PL 41, 38s.

¹⁶¹AUGUSTINUS, *De nuptiis et concupiscentia libri duo*, 1, c.23: PL 44 428.

Insuper, illorum verborum Ad Rom *concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret*, genuinus sensus est quem ostendit contextus Pauli et tradit D. Chrysostomus ibi¹⁶², homines non fuisse expertos vim et impetum concupiscentiae tam furibundum donec lex diceret *non concupisces* quia nitimur in vetita semper. Vide sequentia verba Pauli. Appellat autem concupiscentiam peccatum quia *ex peccato est et ad peccatum inclinat*, ut in probatione 1 diximus, ex Tridentino. Forte etiam illis verbis ostendit Paulus iudaeis per legem explicatum esse quod ignorabant, videlicet consensum in concupiscentia, licet non prodeat in opus, esse peccatum. Ad Augustinum autem RESPONDEO, ex multis illius locis supra adductis constat illius mentem, imo ex eisdem locis quae videntur haereticis favere, in quibus concupiscentia ap[f.242]pellat peccatum more Pauli, quia a peccato originali est et ad peccatum inclinat. Et in eodem sensu dicit exosam esse Deo concupiscentiam. In aliquibus locis indicat Augustinus concupiscentiam esse peccatum quamvis non possimus ei resistere, verum non loquitur de potestate simpliciter sed de potestate morali, et non de potestate resistendi motibus singulis divisive sed omnibus collective, ut statim dicemus, qua ratione non possumus vitare omnia venialia, cum tamen singula sint nobis libera.

Circa hanc solutionem movet dubium Caietanus hic, a.3¹⁶³. Videtur enim rationi dissonum nos obligari ad vitandas omnes negligentias in cohibendis motibus concupiscentiae, cum hoc sit impossibile. Quae difficultas, communis omnibus venialibus, pertinet ad materiam de gratia et a me satis explicata in disputatione de praedefinitionibus, q.3¹⁶⁴. Nunc breviter

¹⁶²IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In epistulam ad Romanos*, hom.12: PG 60 501.

¹⁶³THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2., q.74, a.3: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.38,II.

¹⁶⁴ Cf. D. RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii ac Disputationes ad Q.XXII et...XXIII ex 1 parte Sti. Thomae, De Providentia praedefiniende ac praebente predestinationis exordium*, Tractatus secundus, De Praedefinitionibus : Lyon 1631, p.83.

RESPONDEO, 1^o, nos non obligari ad vitandas omnes negligentias collective sed ad singulas vitandas obligamur; singulas autem vitare possumus, ideoque cum negligentes sumus in singulis libere peccamus. Ita Alexander 2 p., q.125, mem.2¹⁶⁵; D. Thomas hic. a.3 ad 2. Et cum eo Caietanus¹⁶⁶, Conradus¹⁶⁷ et alii discipuli. Durandus, 2, d.24, q.5, a.1¹⁶⁸. RESPONDEO 2^o, forte nos obligari ad vitanda omnia venialia collective, quod videtur esse physice possibile quamvis sit moraliter impossibile, ita ut infallibile sit numquam esse explendum.

Dubitatur 3^o

Utrum in appetitu sensitivo secundum se possit esse peccatum veniale

Dico *secundum se* ut excludam voluntatis consensum sicut in praecedenti dubio.

Affirmant Caietanus et Conradus in sequenti articulo. Et Conradus idem videtur repetere in a.6, notabili 3¹⁶⁹ et videtur idem sentire Aegidius 2, d.24, in 2^a parte distinctionis, q.1, a.3c¹⁷⁰.

PROBATUR 1^o ex D. Thoma qui in a.3 et 4 docet in sensualitate existere [f.242v] posse veniale peccatum non tamen mortale;

¹⁶⁵ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2 pars, q.125, mem.2: ed.1516, fol.274a.

¹⁶⁶THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2., q.74, a.4: ed.leon.op.Sti.Th. 7,39.

¹⁶⁷CONRADUS KOELLIN, OP, *Expositio Commentaria... in Primam Secundae.. S.Th. Aq.*, q.74, a.3 ad 2: Venecia 1589, p.561b.

¹⁶⁸DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.24, q.5, n.8: Amberes 1566, fol.173v.

¹⁶⁹CONRADUS KOELLIN, OP, *Expositio Commentaria... in Primam Secundae.. S.Th. Aq.*, q.74, a.6: Venecia 1589, p.565b.

¹⁷⁰AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum, Quaestiones*, d.24, 2^a parte, q.1, a.3c: Venecia 1581, t.1, 276.

quod si illud veniale intelligeret esse ex consensu voluntatis eadem ratione concederet mortale peccatum.

2^o PROBATUR, quia appetitus sensitivus habet libertatem aliquam; ergo peccare potest venialiter. Antecedens probatur 1 Politicorum, c.3, et 1 Ethicorum, c. ultimo¹⁷¹, dicente appetitum moveri politice. Qua ratione D. Thomas in praecedenti a.2 ad 3 infert in appetitu sensitivo esse quasi libertatem, ideoque in illo esse peccatum, non vero in membris exterioribus. Et supra, q.9, a.2 ad 3¹⁷², ait appetitum regi a libertate, non ut servum sed ut liberum; et 1^a parte, q.81, a.3 ad 2¹⁷³. CONFIRMATUR 1^o, quia cogitativa hominis est particeps rationis; unde potest componere et discurrere in particularibus; ergo similiter appetitus sensitivus particeps erit libertatis, nam ut cogitativa se habet ad intellectum et discursum ita appetitus ad voluntatem et libertatem. CONFIRMATUR 2^o, quia propterea voluntas est simpliciter libera quia sequitur intellectum qui potest pro utraque parte contradictionis invenire rationes boni; sed similiter potest aestimativa hominis ex coniunctione ad rationem; ergo appetitus qui sequitur aestimativam erit liber. CONFIRMATUR 3^o, quia experimur concupiscentiae motus discursu et ratione concitari aliquando et aliquando reprimi. CONFIRMATUR 4^o, quia si liber esset appetitus non redderetur sufficiens ratio propter quam aliquando resisteret voluntati aliquando non.

3^o PROBATUR sententia, quia in appetitu ponuntur ab Aristotele et D. Thoma virtutes fortitudinis et temperantiae; ergo ponenda sunt similiter vitia et peccata.

Nihilominus haec sententia est prorsus a ratione aliena et doctrinae Sacrae Scripturae, Tridentini et Sanctorum satis dissona, ut constat ex praecedenti dubio. Nam Tridentinum

¹⁷¹ARISTOTELES, *De republica (Politicorum)*, 1.1, c.3: Lyon, t.2, 1549, col.751. *Ethicorum ad Nicomacum*, 1.1, c.13:ibid. col.616. ARISTOTELES LATINUS, *Politica*, 1.1,[5], p.9, 4-6.

¹⁷²S.THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.9. a.2 ad 3: ed.leon., 6 77.

¹⁷³S.THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.81. a.3 ad 2: ed.leon., 5 291.

sessione 5^a, § *Si quis per Iesuchristi*, universaliter docet concupiscentiam nihil nocere nisi consentientibus idque nulla facta distinctione mortalis et venialis peccati. Et similiter loquuntur Sancti adducti in prae[f.243]cedenti dubio, in quo auctoritates Sacrae Scripturae, praesertim quae in 4 et 6 et 7 ratione adducuntur, idem probant.

Sed expresse in sensualitate non dari peccatum veniale secluso rationis consensu docet Albertus, 2 p., tract.15, q.92, memb. 4¹⁷⁴; Alexander, 2 p., q.125, memb.2¹⁷⁵; D. Bonaventura, 2, d.24, p.2, a.3, q.1¹⁷⁶; Scotus, 2, d.42, q.2c et ad 1¹⁷⁷; Durandus, 2, d.24, q.5¹⁷⁸, ubi Ricardus, a.4, q.1 fine¹⁷⁹; Almain, in 3 *Moralium*, c.24 circa medium¹⁸⁰; Angelus, verbo *sensualitas*.

Et PROBATUR, quia ex sententia Caietani¹⁸¹ manifeste sequitur eum qui resistit concupiscentiae toto conatu voluntatis, nihilominus peccare venialiter quando cohibere non potest, quod videtur erroneum. Unde ulterius sequitur simul eumdem in eadem materia mereri per voluntatem et peccare venialiter per appetitum sensitivum; nam de fide est coronari eum qui resistit concupiscentiae.

¹⁷⁴ALBERTUS MAGNUS, RATISBONENSIS EPISCOPUS, *Summa Theologiae*, 2 p., tract.15, q.92 : Opera Omnia t.33, Paris (1895) p.198.

¹⁷⁵ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2 pars, q.125, mem.2: ed.1516, fol.274a.

¹⁷⁶S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.24, p.2, a.3, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.583b.

¹⁷⁷JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*: ed Vivès, 13, 469.

¹⁷⁸DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.24, q.5, n.8: Amberes 1566, fol.173v.

¹⁷⁹RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 1.2, d.24, a.4, q.1: Brescia 1591, p.314b-315a.

¹⁸⁰JACOBI ALMAIN, *Moralia quae vocatur*, 3, c.24: Paris 1526, fol.115s.

¹⁸¹THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2., q.74, a.3: Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. leon. t.7, p.38,II.

DICET aliquis: impossibile est voluntate perfecte repugnante durare concupiscentiam. SED in primis, hoc falsum esse testatur experientia et rationes quas adduximus pro sententia Caietani. Deinde, si hoc ita esset numquam foret inordinata concupiscentia sine interpretativo consensu voluntatis quae libere negligens fuit in ea frenanda; quare ex negligentia voluntatis et non ex se habebit imputabilitatem illa concupiscentia.

Ad fundamenta Caietani RESPONDEO: D. Thomas aperte sensit nullum peccatum esse nisi in voluntate ut in primario subiecto, et in aliis potentiis quatenus gubernantur a voluntate, supra, a.1 et 2. Et quamvis in hoc a.3 ad 3 paulo dubius loquatur innuatque sine consensu voluntatis esse in appetitu sensitivo peccatum veniale, nihilominus ex solutione 2ⁱ argumenti constat eiusmodi motus sensualitatis poni a D. Thoma saltem cum interpretativo actu voluntatis, quia, (inquit) potuit voluntas vitare singulos, etc. Quare autem appetitui [f.243v] sensitivo tribuatur peccatum veniale et non mortale dicitur in a.4.

Ad 2 RESPONDO: in appetitu sensitivo nullam esse libertatem proprie quae consistit in indifferentia ad opposita suppositis omnibus requisitis ad operandum; etenim libertas specificationis requirit cognitionem honestatis et turpitudinis et facultatem expendendi rationes pro utraque parte occurrentes et comparandi bonitatem unius obiecti cum bonitate alterius; libertas vero quoad exercitium requirit vim ad cognoscendum quasi per reflexionem actus appetitus et an sit utilius illum non exercere; haec autem omnia requirunt vim rationis, ut fuse docent D. Thomas, 1 p., q.83¹⁸²; Albertus, 2 p., tract.15, q.92, memb.1¹⁸³; Alexander, 2 p., q.125, memb.1 fine¹⁸⁴; Scotus, 2, d.42, q.3 fine¹⁸⁵.

¹⁸²THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.83: ed.leon. 5,307.

¹⁸³ALBERTUS MAGNUS, RATISBONENSIS EPISCOPUS, *Summa Theologiae*, 2 p., tract.15, q.92 : Opera Omnia t.33, Paris (1895) p.198.

¹⁸⁴ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2 pars, q.125, mem.1: ed.1516, fol.273v.

¹⁸⁵JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, 2, d.42, q.3: ed Vivès, 13, 447.

Ad probationem antecedentis RESPONDEO appetitum gubernari a voluntate politice et ut liberum et non despotice. In eo consistit quod appetitus sensitivus habeat propriam cognitionem, scilicet aestimativam qua gubernandus sit, cui nisi proponatur proprium bonum, scilicet sensibile, ad quod naturali pondere feratur, appetitus non movebitur; imo aliquando etiamsi proponatur illi per aestimativam bonum sensibile, non movebitur appetitus si aliud bonum sensibile melius propositum movet vehementius, ut explicatum est a.2, dubio 3, et in q.71, a.2, dubio 3¹⁸⁶.

Ad 1^{am} confirmationem RESPONDEO cogitativam hominis eadem proportione esse participem rationis quam appetitus est particeps volitionis et libertatis, nam imaginativa non potest per se ipsam et quasi proprio motu progredi ab uno cognito in aliud ex vi illationis, sed solum potest sequi intellectum discurrentem et inferentem unum ex alio (dixi ex vi illationis, nam quae successive vidimus vel audivimus recordari possumus successive ex vi propria imaginativae sed non ex vi illationis). Sic igitur voluntatis libertatem participat appetitus sensitivus quatenus moveri potest a voluntate. Et haec est aperta mens D. Thomae hic ad 1.

Ad 2^{am} confirmationem constat SOLUTIO ex dictis: ut enim aestimativa hominis non potest invenire varias rationes boni pro utraque parte nisi moveatur ab intellectu, ita etiam appetitus sensitivus non potest eligere libere nisi moveatur a voluntate.

Ad 3^{am} confirmationem RESPONDEO: concupiscentiae motus discursu et ratione incitantur et continentur eo fere modo quo equus calcaribus concitamus vel domamus onere et labore vel tranquillum reddimus cavendo ne oculis aut naribus conspiciat quae metum aut amorem concitant. Sic ergo appetitui sensitivo per cogitativam proponimus malum aliquando sensibile quo deterreatur ab actu, vel bonum sensibile quo alliciatur, vel divertimus ad alias res cogitandas. Quare, sicut non infertur libertas in equo ita nec in appetitu.

¹⁸⁶*ArchTeolGran*, 49 (1986) 283-293.

Ad 4^{am} confirmationem RESPONDEO sufficientem rationem resistendi voluntati esse in appetitu quando maior est vis cognitionis quae manet in imaginativa quam quae proponitur ex imperio intellectus. V.gr., si maior et vehementior sit cogitatio boni vindictae quam cogitatio mali quod inde sequitur, appetitus renitetur voluntati.

Ad 3^{um} argumentum dictum est a.2, dubio 3 ad 1.

Dubitatur 4^o

Utrum omnes primi motus sensualitatis sint peccata venialia ex consensu rationis

Non dubium est quin aliqui motus concupiscentiae sint peccata venialia ex consensu rationis. Dubium autem est de primis motibus, utrum omnes sint peccata venialia.

Primos motus appellant scholastici motus inordinatos concupiscentiae praevenientes deliberationem, ut optime et late Alexander, 2 p., q.125, [f.244v] memb.1 et 3¹⁸⁷; et infra Henricus, quodlibeto 6, q.32¹⁸⁸; Almain, 3 Moralium, c.24¹⁸⁹; Gulielmus Parisiensis, 2 p., tract. De matrimonio, c.7; Altissiodorensis, 2 p., tract.28, c.1 et sequenti¹⁹⁰ et plerique alii infra citandi. Reddunt autem rationem nominis, quia ut imaginativae cognitio praecedat ex natura rei cognitionem intellectus saltem quoad initium cognitionis, quamvis postea imaginativa dirigatur et quasi moveatur ab intellectu, ita appetitus sensitivus irritatur et movetur cognitione imaginativae seu

¹⁸⁷ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2 pars, q.125, mem.1 y 3: ed.1516, fol.273v,274r.

¹⁸⁸HENRICUS GOERBALS A GANDAVO, *Quodlibeta*, Quodl.6, q.32 : Paris 1528 (Reprod. Lovaina 1961), fol.CCLIV.

¹⁸⁹JACOBI ALMAIN, *Moralia quae vocatur*, 3, c.24: Paris 1526, fol.115.

¹⁹⁰GULIELMUS ALTISSIODORENSIS, *Aurea in quatuor Sententiarum libros perlucida explanatio*, 1.2, tract.28, c.1 y 2: ed. Paris, (letra gotica) fol.99.

aestimativae prius quam voluntas excitetur cognitione practica intellectus iam deliberata.

Hinc constat non esse in voluntate primos motus ut usurpatur hoc nomen a theologis, de quo infra, dubio 6.

1^a sententia asserit omnes motus concupiscentiae qui ex se sunt contra rationem (ut motus luxuriae aut vindictae) esse peccata venialia, quia illis semper voluntas consentit aut formaliter aut interpretative. Ita docet Alexander, 2 p., q.125, memb.2 et 4 et 5 et sequentibus¹⁹¹; Gulielmus, 2 p., tract. de Matrimonio, c.7; favet D. Thomas hic, a.3 ad 2 et 3, et eius expositores, et Quodlibeto 4, a.21¹⁹², et supra, q.72, a.5 ad 1¹⁹³; D. Bonaventura, 2, d.36, a.1, q.2c¹⁹⁴ et nonnihil Magister, 2, d.24¹⁹⁵. Tribuitur Altissiodorensi, falso tamen, ut constabit in 3^a sententia.

2^a sententia dicit motum concupiscentiae perfectum ex alteratione materiali corporis esse interdum sine peccato; verumtamen omnem motum concupiscentiae ortum ex sola apprehensione imaginativae esse peccatum. Hanc tradit expresse D. Thomas, De malo, q.7, a.6c et ad 8¹⁹⁶ et 2, d.21, q.1, a.2 ad 5^{um}¹⁹⁷ et 3 p., q.41, a.1 ad 3¹⁹⁸ et 2, d.24, p.2, q.3, a.2c¹⁹⁹, ubi ait sic esse intelligendam sententiam eorum qui dicunt motus primo primos non esse peccata, at vero secundo

¹⁹¹ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2 pars, q.125, mem.2,4,5...: ed.1516, fol.274.

¹⁹²THOMAS AQ., *Quodlib.* 4, a.21 : ed. Vivès, 15 147.

¹⁹³THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.72, a.5 ad 1: ed.leon. 7 18b.

¹⁹⁴S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.36, a.1, q.2c: Quaracchi, t.2 (1885), p.846.

¹⁹⁵PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2 d.24 [c.12]. Quaracchi 1916, t.1, 427.

¹⁹⁶THOMAS AQ., *De Malo*, q.7, a.6 et ad 8: ed.leon. 23 175s.

¹⁹⁷THOMAS AQ., *Commentum in librum II Sententiarum*, d.21, q.1, a.2 ad 5: ed. Vivès, t.8, p.276b.

¹⁹⁸THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 3, q.41, a.1, ad 3: ed.leon., 11 404b.

¹⁹⁹THOMAS AQ., *Commentum in librum II Sententiarum*, d.24, p.2, q.3, a.2c: ed. Vivès t.8, p.324.

primos esse peccata, ut videlicet motus primo primi intelligantur esse motus naturales provenientes sine imaginatione; at vero motus secundo primi intelligantur qui ex imaginatione procedunt. Eandem sententiam tenet Magister, 2, d.21, § *Porro sciendum*²⁰⁰; D. Antoninus, 2 p., tit.5, c.1, § 4²⁰¹ ex Petro de Tarantasia; Durandus, 2, d.21, q.1, n.9²⁰²; Dionysius Carthusianus, 2, [f.245] d.24, q.6²⁰³, ubi Aegidius 2^a parte distinctionis, q.1, a.2²⁰⁴; Gerson, Alphabeto 28, post litteram Q; et ut probabilem supponit Bonaventura, 2, d.23, a.1, q.3²⁰⁵.

In hac sententia dubium occurrit: quomodo possit esse aliquis motus sensualitatis sine imaginatione cum constet ex 3^o de Anima²⁰⁶, et ex eodem D. Thoma, 1 p., q.81, a.1²⁰⁷, omnem motum sensualitatis consequi ex sensibili apprehensione sicut omnis actus voluntatis essentialiter pendet a cognitione intellectus. RESPONDEO: nomine huius motus naturalis non intelligitur aliquis actus elicited ab appetitu sensitivo, sed intelligitur turpis aliquis motus localis alicuius membri sicut motus rarefactionis resultans ex primis qualitatibus sine imaginatione. Aliter explicat Capraeolus, 2, d.40, a.3 ad 1 Durandi contra 1^{am} conclusionem ut motus causatus ex imaginatione sit ille tantum quem possemus per imaginationem cohibere²⁰⁸. Quae explicatio magis congruit

²⁰⁰PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.21, [c.6]: ed. Quaracchi 1916, t.1, p.407.

²⁰¹STI. ANTONINI ARCHIEPISCOPI FLORENTINI, *Summae Theologicae pars II*, tit.5, § 4: s.l., s.f., col.640.

²⁰²DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.21, q.1, n.9: Amberes 1566, fol.166.

²⁰³DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In Sententiarum librum II, commentarii locupletissimi*, d.24, q.6: Venecia 1584, p.439a.

²⁰⁴AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum, Quaestiones*, d.24, 2^a parte, q.1, a.2: Venecia 1581, t.1, 274s.

²⁰⁵Véase S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.24, p.2, a.3, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.583s.

²⁰⁶ARISTOTELES, *De anima*, l.3, c.4: Lyon 1549 col.829s.

²⁰⁷THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.81, a.1: ed. Leon.5, 288.

²⁰⁸IOANNES CAPREOLUS, *Defensiones Theologiae Divi Thomae Aquinatis in Secundum Sententiarum*, l.2, dist.40, a.3, II: Tours 1903, t.14, p.459.

veritati et minus accommodata est verbis D. Thomae. Quod si ita intelligatur, sententia D. Thomae limitat 1^{am} sententiam, sin minus idem prorsus asserit quod 1^a sententia, scilicet omnes motus inordinatos appetitus esse peccata.

Hoc autem PROBARI potest 1^o ex Augustino, 19 De Civitate, c.4²⁰⁹, dicente quando caro concupiscit adversus spiritum nonnullum esse vitium; et 1.4 Contra Iulianum, c.1, et 1.5, c.3²¹⁰, indicat concupiscentiam semper esse peccatum. CONFIRMATUR ex D. Gregorio, hom. 16 in Evangelium, et 4 Moralium, c.27²¹¹; D. Isidoro, De summo bono, c.23²¹²; Magistro, et communiter Scholastici, 4 [2!], d.24²¹³, constituentibus in progressu peccati, primo suggestionem daemonis quae nullum peccatum sit; deinde delectationem sensus et concupiscentiae quae tantum sit veniale peccatum, et postremo consensum qui sit mortale. Insuper, D. Augustinus, lib.1 De sermone Domini in monte, c.23²¹⁴, et D. Gregorius, 4 Moralium, c.27²¹⁵, id ostendunt exemplo serpentis, Evae et Adami, quos aliter accommodat Magister²¹⁶ ex Augustino, 12 De Trinitate. Vide verba quae Alexander, 2 p., q.133, memb.1²¹⁷, refert ex Gregorio, Hieronymo et Isidoro. [f.245v]

²⁰⁹AUGUSTINUS, *De Civitate Dei libri XXII*, 1.19, c.4 : CCL 48, p.665,69; PL 41, 629.

²¹⁰AUGUSTINUS, *Contra Iulianum pelagianum libri VI*, 1.1, c.1 y 1.5, c.3: PL 44 737 y 787.

²¹¹GREGORIO MAGNO, *4 Moralium*, c.27 y *Homil. 16 in Evangel.* : Amberes 1572, t.1, fol.22bc; t.2, fol.117c; PL 75 661s; 76 1135.

²¹²ISIDORUS, *Sententiarum de Summo Bono libri III*, 1.2, c.23: Amberes 1556, fol. 62 (edición de bolsillo); PL 83 623.

²¹³PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.24, c.2: ed. Quaracchi 1916, t.1, p.424-427.

²¹⁴AUGUSTINUS, *De sermone Domini in monte libri duo*, 1; CCL 35, 37; PL 34, 1246.

²¹⁵GREGORIUS MAGNUS, *Moralium libri sive Expositio in librum B. Iob*, 1.4, c.27: CCL 143 193; PL 75 601.

²¹⁶PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.24: ed. Quaracchi 1916, t.1, p.422-424.

²¹⁷ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2 pars, q.133, mem.1: ed. 1516, fol.287.

2^{um} argumentum D. Thomae et Alexandri est quia in potestate hominis est per rationem et voluntatem impedire singulos quosque motus concupiscentiae ex cogitatione provenientes, quamvis non possit impedire omnes collective; ergo quando illi motus inordinati fuerint imputabuntur ad culpam quamvis levem, eo quod libera rationis incuria subreperit.

3^o, quia tentatio quae fit per internam delectationem et concupiscentiae motum non fuit in Christo Domino quamvis daemonis suggestionem tentatus fuerit; cuius rationem reddit D. Thomas, 3 p., q.41, a.1 ad 3²¹⁸, quia tentatio carnis non potest esse sine peccato; ut ait Magister, 2, d.21, § *Porro sciendum*²¹⁹.

Nihilominus sit 1^a CONCLUSIO: *aliqui motus primi sensualitytis, quamvis ex imaginatione proveniant, non sunt peccata venialia et minus mortalia*. Ita docet Albertus 2 p., tract.15, q.92, memb.4²²⁰; Altissiodorensis, 2 Summae, tract.28, c.1 et clarius q.3 et 4²²¹; incidenti Lyra in id Mt 5 [28] *si viderit mulierem ad concupiscendum*²²²; Abulensis, in caput 4 Mt, q.75 fine²²³, licet prius videatur dicere oppositum; Ricardus, 2, d.24, a.4, q.1²²⁴; Scotus, 2, d.42, q.3 ad 1²²⁵; Henricus, quodlibeto 6,

²¹⁸THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 3 p., q.41, a.1 ad 3 : ed. leon. 11,404.

²¹⁹PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.21, c.6: ed. Quaracchi 1916, t.1, p.407.

²²⁰ALBERTUS MAGNUS, Ratisbonensis Episcopus, *Summa Theologiae*, 2 p., tract.15, q.92 : Opera Omnia t.33, Paris (1895) p.198s.

²²¹GULIELMUS ALTISSIODORENSIS, *Aurea in quatuor Sententiarum libros perlucida explanatio*, 1.2, tract.28, c.1 y 2: ed. Paris, (letra gotica) fol.99.

²²²*Bibliorum Sacrorum* tomus V cum *Glossa* ordinaria et NICOLAI LYRANI expositionibus, literali et morali. Mt 5: Lugduni 1545, fol.21r.

²²³ALPHONSUS DE MADRIGAL [EL TOSTADO], *Divinarum Scripturarum intentissimi ac diligentissimi perscrutatoris bti. Alphonsi Tostati Episcopi Abulensis in Evang. Sancti Mathei ad litteram expositio... Prima pars*.c.15, q.4: Venecia 1529, fol.174v.

²²⁴RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 1.2, d.24, a.4, q.1: Brescia 1591, p.314b.

²²⁵JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, 2, d.42, q.3: ed Vivès, 13, 469.

q.32²²⁶ (qui licet eiusmodi motus dicat esse peccata ex voluntate primi parentis, de quo alias, nihilominus negat esse peccata actualia cuiusque personae). Eandem conclusionem tenet Almain, 3 *Moralium*, c.24²²⁷; Gerson, *Alphabeto* 33, littera H et *Alphabeto* 29, littera R et S, quem sequitur Corduba, 1 *Quaestionarii*, q.23, dub.9, propositione 1; Medina in fine huius articuli²²⁸; Suarez, 3 p., q.15, a.4, disp.34, sect.2, § *Ex qua ratione*²²⁹, et communiter iuniores. Et D. Tho infra, q.80, a.3 fine, ait motum concupiscentiae non esse peccatum quando ratio ei actualiter resistit²³⁰, et favet etiam in q.71, a.2 ad 3²³¹.

PROBATUR 1° ex Sacra Scriptura et Tridentino allatis in dubio 2, nam docent concupiscentiam nihil nocere dum illi resistitur viriliter, suppono aliquem pati posse hos motus sine peccato. Et Augustinus, 1 *De Civitate*, c.25²³², inquit quod si illa concupiscentialis inobedientia quae adhuc in membris [f.246] moribundis habitat praeter nostrae voluntatis legem quasi lege sua movetur, quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis si absque culpa est in corpore dormientis? Insuper, ex praesenti contextu aperte constat Augustinum agere de motibus excitatis per apprehensionem. Alia verba Augustini in 2 *De nuptiis et concupiscentia* refert Henricus citatus.

2° PROBATUR quia ex dispositione corporis, ut ex calore et humiditate, naturali sequela, praesertim oblata aliqua occasione, moventur cogitationes turpes et excitantur in appetitu sensitivo affectus turpes quos experimur quotidie non posse a nobis

²²⁶HENRICUS GOERBALS A GANDAVO, *Quodlibeta*, Quodl.6, q.32 : Paris 1528 (Reprod. Lovaina 1961), fol.CCLIV.

²²⁷JACOBI ALMAIN, *Moralia quae vocatur*, 3, c.24: Paris 1526, fol.116.

²²⁸B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, 1.2., q.74, a.3: Venecia 1602, p.390ab.

²²⁹FRANCISCO SUÁREZ, *In 3 p. Summae theol.Sti Thomae*, Disp.34, sec.2 ed. Vivès, 18 201.

²³⁰THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.80, a.3 ad 3: ed.leon.,7,85b.

²³¹THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, q.71, a.3 ad 3: ed.leon.,7,5.

²³²AUGUSTINUS, *De Civitate Dei libri XXII*, 1.1, c.25 : CCL 47, p.26 21-28; PL 41, 38s.

comprimi statim etsi maximum adhibeamus conatum, immo plerumque quanto vehementius retunduntur tanto maiori impetu resiliunt; at vero implicat contradictionem alicui imputari ut culpam quod vitare non potest, supra, q.71, a.6, dubio 4²³³. CONFIRMATUR 1^o, quia saepe non est in potestate hominis cavere ne videat vel audiat legatve aliquid unde naturali sequela resultat cogitatio turpis ex qua naturaliter resultat motus in appetitu sensitivo; et similiter contingit circa iram. CONFIRMATUR 2^o, quia ut saepe dictum est appetitus obedit rationi non despotice sed politice et propterea reniti potest et perseverare in complacentia aut desiderio obiecti mali contra decretum voluntatis. Unde recte Augustinus, *De spiritu et littera*, c.34²³⁴, non est, inquit, in potestaeete nostra quin quibusdam vitiis tangamur.

3^o PROBATUR, quia licet potest homo reprimere omnem inordinatum motum concupiscentiae, saepe tamen excusaretur quia invincibiliter non advertit sibi inesse illum motum vel non advertit illum esse inordinatum.

4^o PROBATUR, quia saepe honeste et laudabiliter videt homo aut tangit aut cogitat de rebus alias turpibus, ut medicus aut chirurgus et tamen inde naturaliter resultat motus aliquis et delectatio in appetitu quam nullo modo potest abiicere, praesertim quamdiu attendit medicinae. Unde constat quandoque praeceptum esse non fugiendi rem quae causa est talium motuum. [f.246v] Nam necessitate urgenti medicus, chirurgus, confessarius et alii tenentur lege charitatis aut iustitiae exercere suas artes.

5^o, quia virtute daemonis effici potest ut similes apprehensiones in nobis excitentur.

6^o, quia ad repellendos inordinatos motus concupiscentiae non tenemur adhibere summum conatum possibilem et valde diuturnum, tum quia ad alias res graviores et honestiores non tenemur adhibere summum conatum, tum etiam quia saepe somnum totius noctis eriperet iste conatus et cogitationum tumultibus quasi

²³³*ArchTeolGran*, 2 (1939) 266.

²³⁴AUGUSTINUS, *De spiritu et littera liber unus*, c.34: PL 44 240.

bellicis obtunderetur caput non sine aperto vitae periculo vel amentiae, et propterea laudabiliter remittitur quandoque vehementia conatus.

2^a CONCLUSIO: *iidem motus primo primi sunt peccatum obiectivum, hoc est habent in se sufficientem turpitudinem ut complacentia libera voluntatis quae circa illos versatur peccatum sit.* Et ita explicari possunt Doctores 2^{ae} sententiae, ut Magistrum explicat Ricardus citatus in 1^a conclusione. Vide infra disputationem de morosa delectatione, dubio 18, conclusione 3.

Circa loquendi modum observa optimum esse quo utuntur Henricus, Almain et Suarez citati in conclusione 1^a, scilicet ut motus primo primus ille dicatur quem non potuit homo praevenire adhibita ea diligentia et cautione quam adhibere tenetur; at vero motus secundo primus ille sit qui non sine aliquo consensu voluntatis saltem interpretativo resultat, quia voluntas potuit et tenebatur vitare illum et non vitavit; verumtamen quia non habuit potestatem simpliciter sed tantum secundum quid, non est simpliciter imputabilis; unde omnis motus secundo primus est peccatum veniale.

Nihilominus, si nomen motus secundo primi accipiatur ut a D. Thoma accipitur supra in 2^a sententia, dicere debemus etiam ex motibus secundo primis aliquos non esse peccata venialia, quo modo locutus est Corduba supra. [f.247]

Ad argumenta adversariorum RESPONDEO concupiscentiam carnis adversus spiritum appellari ab Augustino vitium **scilicet** turpe obiectum consensus ut ostendunt sequentia verba illius c.4, l.19 De Civitate²³⁵. Quomodo autem concupiscentia dicatur peccatum dictum est saepe praesertim dub.2. Ad confirmationem RESPONDEO, ab illis Patribus constitui ut peccatum veniale non quamlibet delectationem sensus sed eam quae sequitur cum aliquo consensu levi voluntatis; nam quae sine ullo consensu voluntatis

²³⁵AUGUSTINUS, *De Civitate Dei libri XXII*, l.19, c.4 : CCL 48, p.665,69; PL 41, 629.

c.24²⁴³; Henricus, Quodlibeto 6, q.32²⁴⁴. Et quamvis quaestio sit fere de solo nomine melius tamen loquuntur hi Doctores.

DICO 1^o: *motus inordinatus concupiscentiae cui ratio libere non resistit est peccatum commissionis quoad suam materiale entitatem*, ut probant bene argumenta primae sententiae.

DICO 2^o: *idem actus formaliter in ratione actualis peccati est omissio et non commissio*. PROBATUR, quia ille actus concupiscentiae non est peccatum actua[f.248]le in se et formaliter sed denominatione extrinseca ab actu voluntatis, ut supra, a.2, dubio 3; sed actus voluntatis in hoc casu est omissio, est enim mera privatio actus; ergo ille motus concupiscentiae denominabitur peccatum omissionis. Minor probatur quia peccatum voluntatis in hoc casu est carentia actus quo tenetur reprimere appetitum. CONFIRMATUR 1^o, quia propterea peccatum omissionis est non alere extreme indigentem aut non subvenire illi qui iniuste opprimitur, quamvis inde sequatur aliquid positivum. Sed hoc interest quod occisio aut morbus qui sequitur ex omissa subventionem non est actus hominis omittentis; at vero inordinatus motus appetitus est actus eiusdem hominis. Caeterum, quia non est actus humanus et voluntarius nisi quatenus voluntas omittit, ideo quod attinet ad rationem peccati similia sunt exempla.

Ad argumenta 1^{ae} sententiae, RESPONDEO ad 1^{um}: desiderium inordinatum concupiscentiae non est formaliter peccatum actuale in quantum est actus realis et positivus, sed in quantum est voluntarius denominatione extrinseca ab omissionem voluntatis. Ad 1^{am} confirmationem RESPONDEO ex dictis supra, q.72, a.6, dubio 1²⁴⁵, in multis praeceptis negativis includi affirmativa praecepta et e contra: sitque [sicque] in praecepto *non moechaberis* aut *non concupisces* includitur praeceptum affirmativum cohibendi actum concupiscentiae. Ad 2^{am} confirmationem RESPONDEO: actus castitatis in eo casu praeceptus est cohibere concupiscentiam. Ad 2

²⁴³JACOBI ALMAIN, *Moralia quae vocatur*, 3, c.24: Paris 1526, fol.116b.

²⁴⁴HENRICUS GOERBALS A GANDAVO, *Quodlibeta*, Quodl.6, q.32 : Paris 1528 (Reprod. Lovaina 1961), fol.CCLII.

²⁴⁵*ArchTeolGran*, 56 (1993) 220-225.

RESPONDEO ex dictis, a.2, dubio 3: illum actum appetitus esse peccatum obiectivum ratione sui, verumtamen non est peccatum actuale nisi denominatione ab omissione voluntatis. Ad confirmationem RESPONDEO de ratione actualis peccati esse voluntarium. Ad 3, RESPONDEO obiectum illius actus secundum esse materiale pertinere ad commissionem; at vero in ratione formalī peccati actualis, sicut ille actus nullum aliud esse habet [f.248v] nisi denominationem ab omissione voluntatis, ita nullum aliud obiectum respicit nisi quod respicit omissio voluntatis et haec respicit ut obiectum interpretative volitum negationem actus prohibentis turpem motum. Ad confirmationem RESPONDEO falsum esse antecedens, ut constat ex dicta q.72, a.6, dubio 2²⁴⁶.

Dubitatur 6

Utrum idem dicendum sit de motibus primis voluntatis quod dictum est de primis motibus appetitus

Primo, quod attinet ad motum [nomen?] primi motus constat nulli actui voluntatis convenire eam definitionem quae ex communi sententia Doctorum tradita est supra, dubio 4, initio. Et propterea in ratione non esse primos motus docent Alexander, 2 p., q.125, memb. 3²⁴⁷; Henricus, Quodlibeto 6, q.32, in principio²⁴⁸; Gabriel, lectione 78 in Canone littera N²⁴⁹. Et Gerson, Alphabeto 23, littera H, appellat secundo primos motus rationis qui sine ulla deliberatione erumpunt.

Nihilominus nomen primi motus extendunt ad aliquos actus rationis qui sunt indeliberati Altissiodorensis, Scotus, Almain

²⁴⁶ *ArchTeolGran*, 56 (1993) 225-229.

²⁴⁷ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2 pars, q.125, mem.3: ed.1516, fol.274a.

²⁴⁸HENRICUS GOERBALS A GANDAVO, *Quodlibeta*, Quodl.6, q.32 : Paris 1528 (Reprod. Lovaina 1961), fol.CCLIV.

²⁴⁹GABRIEL BIEL, *Canonis Missae Expositio*, lect.78, lit.N: ed. Wiesbaden, pars 3^a 1966 p.314s.

atque etiam Henricus statim citandi. Et quia accommodatum est nomen, utemur deinceps illo ad significandos actus indeliberatos rationis.

Quaeritur ergo utrum omnes motus primi rationis sint peccata. Affirmant Scotus, 2, d.42, q.3 ad 1²⁵⁰; Altissiodorensis, 2 p., tract.28, c.2, q.6²⁵¹, incidenti Gerson, Alphabeto 33, littera H et Alphabeto 28, littera R. Et Alexander nuper citatus idem sensit de re. Scotus non aliter probat nisi quia sunt actus rationis circa obiectum turpe, nam ea solum ratione concedit motus primo primos in appetitu sensitivo non esse peccata quia circa illos non est actus voluntatis, sed solum negatio actus²⁵².

Nihilominus dicendum est motus primo primos esse in voluntate et intellectu et illos non esse peccata. Ita Almain, 3 *Moralium*, c.24²⁵³; Corduba, lib.1, q.23, dubio 9, propositione 3 ex Angesto. Colligitur non obscure ex Augustino 3 *De libero arbitrio*, c. [f.249] 24 et 25²⁵⁴, ubi ex professo probat aliquos motus animi non subiacere libertati. Et hanc conclusionem, limitatam ad motus concupiscentiae aut displicentiae propter connexionem voluntatis cum appetitu sensitivo docet Scotus, 3, d.15, q.1, a.1 prope finem²⁵⁵.

PROBATUR, quia in intellectu et voluntate sunt aliqui actus non liberi circa obiecta turpia. Quid enim prohibet a voluntate ut natura est resultare desiderium vindictae propria auctoritate a quo actu non possit se continere voluntas in primo instanti repentino propter vehementiam mali habitus vel passionis existentis in

²⁵⁰JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, 2, d.42, q.3 ad 1: ed Vivès, 13, 476.

²⁵¹GULIELMUS ALTISSIODORENSIS, *Aurea in quatuor Sententiarum libros perlucida explanatio*, 1.2, tract.28, c.1 y 2: ed. Paris, (letra gotica) fol.100.

²⁵²JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, 2, d.42, q.3 ad 1: ed Vivès, 13, 476.

²⁵³JACOBI ALMAIN, *Moralia quae vocatur*, 3, c.24: Paris 1526, fol.115a.

²⁵⁴AUGUSTINUS, *De libero arbitrio libri III*, 3, c.24 y 25: CCL 29 318s; PL 32 1306s.

²⁵⁵JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum tertium Sententiarum*, d.15, q.1: ed Vivès, 14, 586.

appetitu et tamen postea aliquo tempore possit illum voluntas impedire. CONFIRMATUR 1^o, quia in amentibus et pueris et in dormientibus dantur aliqui actus voluntatis et intellectus, ut constat ex imperfectis discursibus eorum et ex locutione; ergo similiter in homine potest repente dari aliquis actus voluntatis et intellectus quamvis tunc non possit exercere libertatem. CONFIRMATUR 2^o quia ad libertatem requiritur tempus saltem in aliquibus hominibus qui tardiores sunt ingenio, et ideo discurrere non possunt aut intellectum dimovere ab uno obiecto in aliud nisi intercedente tempore. CONFIRMATUR 3, quia cum auferat libertatem impedimentum quod ligat imaginativam ne obediat voluntati et intellectui ad variarum rerum cognitiones, ita eadem ratione aufert libertatem defectus temporis, quod opus est ut imaginativa ab una cognitione pergat in aliam, praesertim cum hoc non fiat sine motu locali specierum animalium et saepe non sine alteratione. CONFIRMATUR 4^o, quia passiones appetitus aliquando rapiunt voluntatem post se naturaliter, de quo late et bene Corduba, 1 Quaestionarii, q.23, dubio 7.

Advertenda sunt tria: - [1^o] primum motum voluntatis non esse peccata venialia quamvis potuerint praeveniri magno conatu voluntatis quia non tenetur homo ad summam sed tantum ad mediocrem diligentiam vitandi hos [f.249v] motus pro rei gravitate, ut de motibus appetitus sensitivi dictum est dubio 4, probatione 1, conclusione 4 et 6.

2^o tractat Almain citatus utrum circa huiusmodi actus voluntas se habeat mere passive an vero etiam active. Et recte contra Leuquetum docet voluntatem se habere active²⁵⁶, sed hoc potius pertinet ad libros de anima.

3^o advertendum est, cum hi motus primo primi voluntatis procedente tempore evadunt secundo primi propter libertatem secundum quid, non esse peccatum omissionis illos non cohibere sed peccatum commissionis; alias omnia peccata essent

²⁵⁶JACOBI ALMAIN, *Moralia quae vocatur*, 3, c.24: Paris 1526, fol.115a. (En el ms *Leuquetum* o *Ceuquetum*; en Almain *Rosetus*).

omissionis. Et ratio discriminis inter hos actus et actus sensualitatis constat ex praecedenti dubio.

Articulus 4

Utrum in sensualitate possit esse peccatum mortale

Pro parte affirmativa ARGUITUR 1^o quia contraria sunt circa idem; sed virtutes temperantiae et fortitudinis sunt in sensualitate; ergo in illa potest esse peccatum mortale quo generetur oppositum vitium. CONFIRMATUR quia vitium quod generatur ex peccatis venialibus non est contrarium iis virtutibus: supra, q.71, a.3, dubio 2 et 3²⁵⁷.

[ARGUITUR] 2^o, quia actus appetitus versantur circa obiecta sufficientia ad peccatum mortale, ut circa adulterium; ergo erunt peccata mortalia. 3^o, quia delectatio morosa circa venerea est peccatum mortale, et tamen est in appetitu sensitivo.

CONCLUSIO: *peccatum mortale non potest esse in sensualitate.* Ita D. Thomas hic; Vincentius, in Speculo, l.3, p.2, d.3, a.4; D. Bonaventura, 2, d.24, p.2, a.3, q.2²⁵⁸; Durandus ibi, q.5, a.2²⁵⁹; Dionysius Cartusianus, q.3, ex Tarantasio²⁶⁰; Aegidius in 2 p., distinctionis, q.1, a.2 et 3²⁶¹.

Et quia in hac conclusione nihil difficile est nisi simul concedi [f.250] veniale peccatum in sensualitate et negari mortale, observa hanc doctrinam supponi a Magistro, 2, d.24²⁶², et communiter

²⁵⁷Véase q.71, a.4, dubio 2 et 5: *ArchTeolGran*, 49 (1986) 307, 323.

²⁵⁸BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.24, p.2, a.3, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.585.

²⁵⁹DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.24, q.5, n.8: Amberes 1566, fol.173v.

²⁶⁰DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In Sententiarum librum II commentarii locupletissimi*, d.24, q.3: Venecia 1584, p.437.

²⁶¹AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum, Quaestiones*, d.24, 2^a parte, q.1, a.2 y 3: Venecia 1581, t.1, 274-277.

²⁶²PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.24, c.2: ed. Quaracchi

scholasticis locis adductis in praecedenti articulo, dubio 4, praeter hos doctores a quibus expresse traditur. Favet Augustinus, 1^o Retractationum, c.15²⁶³.

Propter hoc discrimen inter peccatum mortale et veniale non sunt in praesenti adducendae rationes quibus a.1 et 2 probatum est solam voluntatem esse subiectum peccati, sed utendum est rationibus propriis peccati mortalis.

PROBAT ergo D. Thomas, quia peccato mortali deordinamur ab ultimo fine; sed nulla potentia deordinari possumus ab ultimo fine nisi ratione; ergo nulla alia potentia est capax peccati mortalis. Minorem probat, quia sola ratione ordinamur ad ultimum finem; ergo sola ratione deordinamur ab illo. CONFIRMATUR, quia non aliter deordinamur ab ultimo fine nisi constituendo ultimum finem in creatura, ut dictum est in q.88, a.1, dubio 1²⁶⁴; sed nulla potentia potest constituere ultimum finem, nisi ratio; ergo. 1^{am} autem propositionem totius argumenti PROBAT D. Thomas exemplo mortis qua aufertur principium vitae; sicque finis ultimus est principium spiritualis vitae. Sed de hoc latius in citata q.88, a.1, dubio 1. CONFIRMATUR, quia peccato mortali anteponitur creatura creatori; haec autem collatio et appetitatio fieri non potest nisi a ratione.

PROBAT 2^o D. Bonaventura, quia solus consensus efficit peccatum mortale; consensus autem est in ratione.

3^o PROBAT, quia peccato mortali avertimur a Deo; quae aversio solius rationis est cum Deus non possit esse obiectum sensualitatis. In his et similibus argumentis supponitur peccata esse actus immanentes, et ideo, si probatum fuerit produci a sola ratione, probatum erit solam rationem esse subiectum illorum.

Sed ex eisdem argumentis oritur ratio dubitandi de veniali peccato. Nam ad eandem potentiam pertinet finis et medium; ergo si ad solam rationem pertinet peccatum mortale, quia est circa

1916, t.1, p.424.

²⁶³AUGUSTINUS, *Retractationum libri II*, 1, c.15: CCL 57 45s; PL 32 408s.

²⁶⁴*ArchTeolGran*, 53 (1990) 174-183.

finem, similiter peccatum veniale, quia est circa media. [f.250v] CONFIRMATUR, quia ut probatum est in q.88, a.1, dubio 10²⁶⁵, tam peccatum veniale quam mortale sunt circa finem et media; verum mortale est simpliciter circa finem, veniale autem secundum quid; at vero eiusdem potentiae est simpliciter et secundum quid respicere finem aut medium.

2^o ARGUITUR, quia in eodem subiecto sunt dispositio et forma ad quam disponit; sed veniale est dispositio ad mortale, ut dictum est in q.88, a.3²⁶⁶, et peccatum veniale potest esse in sensualitate; ergo etiam mortale.

3^o ARGUITUR, quia propterea ponitur peccatum mortale in sola ratione quia consensus in illud est in sola ratione; sed similiter ad peccatum veniale requiritur consensus rationis, ut praecedenti articulo, dubio 3 probatum est; ergo veniale erit tantum in ratione.

NIHILOMINUS huius diversitatis rationem optime reddit D. Thomas, 2, d.24, p.2, q.1, a.2²⁶⁷; Cartusianus et Durandus citati, quia deformitas cuiusque actus illi potentiae tribuitur ut subiecto quae est principium actus; insuper ex motibus inordinatis appetitus sensitivi illi qui non sunt plene deliberati sed secundum quid non procedunt a ratione simpliciter sed secundum quid; ab appetito autem sensitivo procedunt simpliciter et absolute tribuuntur appetitui ut principio et subiecto horum peccatorum venialium. Rursus ratio est simpliciter causa illorum motuum appetitus sensitivi qui sunt plene deliberati (sive causet illos quia movet appetitum sive quia post deliberationem non cohibet cum teneatur) et ideo hi motus in ratione peccati mortalis potius tribuuntur non appetitui sed rationi ut principio et subiecto. Vide D. Thomam in a.6 sequenti. Accedit quod appetitui sensitivo tribuitur veniale in ratione venialis qua deficit a ratione peccati,

²⁶⁵ *ArchTeolGran*, 54 (1991) 281-286.

²⁶⁶ *ArchTeolGran*, 55 (1992) 213-216.

²⁶⁷ THOMAS AQ., *Commentum in librum II Sententiarum*, 2, d.24, q.3, a.2c: ed. Vivès, t.8,324s.

non vero in ratione peccati; at vero mortale tribuitur rationi in quantum mortale est quod dicit perfectam essentiam peccati.

Observandum est, ex vi praecedentis rationis illud tantum veniale esse in appetitu sensitivo quod non habet plene deliberatum consensum; at vero ex vi rationis sequentis etiam illud veniale erit in sensualitate quod est veniale ratione materiae aut obiecti. Igitur secunda ratio D. Bonaventurae citati quam innuit D. Thomas hic, corpore, haec est: quia si in peccato dissonantiam a ratione et monstruositatem praescindamus ab imputabilitate illa reperitur in appetitu sensitivo hominis secundum quid sublato omni prorsus ac[f.251]tu voluntatis, sed non reperitur deordinatio simpliciter; sicut enim in homine caput et quod alia gubernat est ratio ita quamdiu ratio manet recte ordinata licet appetitus sensitivus sit inordinatus homo non est simpliciter deordinatus sed secundum quid ideoque peccatum veniale quod importat deordinationem secundum quid pertinet ad appetitum sensitivum, non vero mortale.

Hinc constat solutio argumentorum proxime praecedentium. Ad 1^{um} RESPONDEO distinguendo antecedens et consequens. Nam versari simpliciter circa finem aut circa media simpliciter necessaria ad finem pertinet ad eandem potentiam scilicet ad solam rationem; verumtamen circa finem aut media versari secundum quid pertinet ad appetitum. Ad confirmationem RESPONDEO eiusdem potentiae est respicere finem secundum quid et simpliciter quantum ad id quod habet respiciendi finem qui respicit secundum quid; sed quantum ad defectum respiciendi qui importatur per additum secundum quid et quantum ad materiale actus pertinere potest ad inferiorem potentiam.

Ad 2 RESPONDENT D. Thomas hic ad 3 et D. Bonaventura citatus, aliquando dispositionem esse in diversa potentia quando duae potentiae sunt essentialiter subordinati[ae]. Sicque dispositio ad utendum ratione est in imaginativa et dispositio ad volendum in appetitu sensitivo. RESPONDEO 2^o, peccatum veniale est in voluntate quoad consensum interpretativum aut formalem quem requirit, et secundum illum disponit ad mortale, et idem veniale

est in appetitu quantum ad materiale actus et quantum ad defectum libertatis.

Ad 3 RESPONDEO mortale peccatum constituitur in ratione non solum quia requirit consensum sed etiam quia ille est consensus simpliciter qui simpliciter est in causa actus; et alter est consensus secundum quid qui non est causa actus, ut dictum est.

Ad argumenta in principio proposita RESPONDEO ad 1^{um}: constat ex dictis apud 2, dubio 3 ad 1. Ad 2^{um} RESPONDEO: appetitus sensitivus non versatur circa obiectum sufficiens ad peccatum mortale nec ad peccatum veniale; non enim versatur circa honestatem et turpitudinem sed tantum circa rem materiale cui convenit honestas aut turpido. [f.251v] Ad 3 RESPONDET D: Thomas toto articulo 6 sequenti delectationem morosam esse quidem in appetitu sensitivo quoad materiale rationem delectationis; verumtamen quoad morositatem non temporis sed consensus pertinet ad voluntatem et consensu constituitur formaliter in retione peccati mortalis.

Articulus 5

[Dubitatur 1]

Utrum in ratione possit esse peccatum

Ratio hic eadem potentia est quae intellectus. Vide infra, articulum 7 et D. Thomam, 1 p., q.79, a.8²⁶⁸ et De veritate, q.15, a.1²⁶⁹.

Sit 1^a CONCLUSIO: *in intellectu sunt peculiari ratione aliqua peccata quia actus exterior illorum seu obiectum (quod idem est) recipitur in intellectu, ut ignorantia vel error.*

2^a CONCLUSIO: *peccatum formaliter sub ratione actus imputabilis ad culpam non est in intellectu nisi denominatione extrinseca ab actu voluntatis.* Ita D. Thomas hic ad 2; Scotus 2,

²⁶⁸THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.79, a.8: ed.leon.5,274.

²⁶⁹THOMAS AQ., *De veritate*, q.15, a.1c: ed. Vivès, 15 46a.

d.42, q.1 corpore²⁷⁰ et ad argumenta Aegidius late 2, d.39, q.1, a.5²⁷¹. Et omnes Doctores citati supra, a.1 et a.2 dub.2 et 3.

Et illae rationes quibus universaliter probatum est omne peccatum esse formaliter in sola voluntate applicantur intellectui sic:

1° illi tribuendum est peccatum quod determinat ad illud; sed intellectus non determinat ad peccatum sed voluntas, cuius est electio et libertas; ergo. Quod autem intellectus non sit liber formaliter sed tantum radicaliter non est huius loci sed libro 3 de anima. Tractatur 1^a parte, q.83, a.3 et 2, d.24 et 25. CONFIRMATUR 1°, quia omne peccatum essentialiter est voluntarium, ut ex communi sententia sanctorum dictum est q.71, a.6, dubio 4²⁷²; sed actus intellectus non est essentialiter voluntarius sed tantum denominatione extrinseca; ergo sola denominatione extrinseca peccatum est. CONFIRMATUR 2°, quia per actum peccati amplectimur aliquod malum; sed versari circa malum aut bonum non pertinet ad vim cognoscitivam sed ad vim appetitivam; ergo. CONFIRMATUR 3°, quia obiectum formalissimum intellectus non est bonum sed verum et voluntatis obiectum formalissimum est bonum; quare in voluntate erit deordinatio mali si a vero bono declinaverit. CONFIRMATUR 4°, quia ignorantia invincibilis propterea non est peccatum quia non est voluntaria; et vincibilis est peccatum quia est voluntaria. Infra, q.76, a.2 et 3. [f.252] dicenda sunt plura dubia.

Sed contra hoc ARGUITUR 1° quia ordinare pertinet ad intellectum formaliter et per se; ergo similiter pertinet ad intellectum deordinare; sed peccati ratio in deordinatione consistit; ergo peccatum pertinet per se et formaliter ad intellectum. RESPONDET Aegidius: ordinare esse actum intellectus tanquam cognoscentis et proponentis voluntati ordinem servandum; at vero ordinare pertinet ad voluntatem quasi ad potentiam amplectentem ordinem,

²⁷⁰JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, 2, d.42, q.1: ed Vivès, 13, 468.

²⁷¹Véase nota 7.

²⁷² *ArchTeolGran* 2 (1939) 269.

et similiter deordinare; at vero peccare est amplecti deordinationem, et propterea non est intellectus, sed voluntatis.

ARGUITUR 2^o, quia in intellectu est virtus fidei et prudentiae et scientiae et vitia opposita. RESPONDEO ex dictis supra, a.2, dubio 3, hos actus et habitus intellectus non habere perfectam rationem virtutis aut peccati nisi quatenus imperantur a voluntate.

ARGUITUR 3^o, quia ea quae sunt per accidens talia non reducuntur nisi in id quod est per se et formaliter tale; sed peccata virium inferiorum reducuntur in intellectum, ut docet D. Thomas hic; ergo intellectui convenit per se et formaliter peccatum. CONFIRMATUR, quia intellectus est qui imperat actus virium inferiorum et cohibere debet malos et imperare bonos; ergo intellectui praecipue tanquam principi tribuitur inordinatio inferiorum virium, sicut nautae tribuitur submersio navis et duci fuga exercitus. RESPONDEO, ex D. Thoma hic ad 2, et Cajetano, peccata inferiorum virium non reduci ad intellectum praecisse ut intellectus est, sed ut movetur a voluntate, quia non alia ratione peccatum reducitur ad intellectum nisi quatenus intellectus imperat actus malos virium inferiorum, scilicet non cohibet illos per imperium cum deberet cohibere. Imperium autem, quamvis sit actus intellectus est tamen actus intellectus ut movetur a voluntate et in virtute voluntatis quae est primum movens, ut ex professo D. Thomas supra, q.17, a.1²⁷³.

[f.252v]

Dubium 2 esse potest

Utrum omne peccatum reducatur ad intellectum tanquam ad radicem

In quo duo continentur: alterum est: utrum cuiusque malae volitionis causa necessario sit aliqua ignorantia aut error intellectus, de quo dicitur oportune Q.76, a.1, dubio 1; alterum est utrum intellectus per imperium causet omne peccatum. Et constat ex fine praecedentis dubii quomodo intellectus sit causa omnium

²⁷³THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.17, a.1: ed.leon.6,118.

peccatorum quae sunt in viribus inferioribus, at vero eorum peccatorum quae sunt in voluntate aliquando non est causa imperium intellectus, quia potest esse actus in voluntate qui non imperetur ab intellectu cum omne imperium intellectus supponat actum voluntatis, quo moveatur, ut constat apud D. Thomam, supra, q.17, a.3 corpore²⁷⁴.

Dubitatur 3

Utrum malitia conveniat intellectui non solum ex modo tendendi, sed etiam ex obiecto, sicut voluntati

De malitia tracto praecisa ratione culpae quae imputabilitatem et libertatem requirit, nam de ratione culpae satis dictum est dubio 1^o.

1^o constat in intellectu esse malitiam formaliter magis proprie et per se quam in omnibus aliis potentiis praeter voluntatem. Cuius RATIO est quia intellectus est potentia hominis in quantum homo est, unde deordinatio intellectus proprius retinet essentiam turpitudinis quae respicit hominem ut homo est. CONFIRMATUR 1^o, quia recta ratio dictat non esse assentiendum falso nec praecipitandum esse iudicium in id quod videtur verum nisi prius discutiatur. Unde actus intellectus poterit esse contra rectam rationem ac proinde turpis. CONFIRMATUR 2^o, quia in intellectu dantur virtutes propter se appetibiles, scilicet scientia, et summum bonum hominis, scilicet beatitudo, praecipue posita est in intellectu; ergo in intellectu erit formaliter malitia.

2^o hinc obiter collige quemlibet errorem etiamsi fuerit earum rerum [f.253] quas non tenemur scire et rerum nullius momenti esse essentialiter malum ac proinde peccatum esse si liberum sit, ut bene D. Thomas, 2, d.39, q.1, a.2c²⁷⁵, et Caietanus hic²⁷⁶;

²⁷⁴THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.17, a.1: ed.leon.6,120.

²⁷⁵THOMAS AQ., *Commentum in II librum Sententiarum*, d.39, q.1, a.2: ed.Vivès, 8,516s.

²⁷⁶THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2., q.74, a.5:

et Aegidius 2, d.22, q.2, a.3, dubio 1²⁷⁷. Et similiter erit peccatum velle ut alter errorem concipiat etiam quando ego iuste utor aequivocatione ad veritatem celandam.

3^o constat malitiam provenire intellectui ex modo tendendi in obiectum. Si enim assentiatur vero et dissentiaturo falso bonus erit actus, si autem dissentiaturo vero malus erit, idque ex modo tendendi, quia in verum tendit modo improportionato, scilicet aliter quam res est. Sed difficultas est praecipue circa conclusionem sequentem.

CONCLUSIO: *hoc differt malitia intellectus a malitia voluntatis quod malitia convenit voluntati ex obiecto, at vero intellectui non convenit ex obiecto.* Ita D. Thomas 2, d.39, q.1, a.2²⁷⁸; Cartusianus, ibi, q.2²⁷⁹, et apud illum Ricardus, quamvis in ratione conclusionis dissideat a D. Thoma.

PROBAT D. Thomas 1^o a posteriori, quia velle mala est malum; sed intelligere mala non est malum: ergo malitia non provenit intellectui quia tendat in malum sicut convenit voluntati. PROBAT 2^o D. Thomas a priori ex obiecto utriusque potentiae, quia voluntas tendit in bonum et malum ut sunt in re; ergo ab illis sumit malitiam quam habent; at vero intellectus tendit in bonum et malum ut sunt in intellectu; ergo ab illis non sumit intellectus malitiam. Antecedens probat ex Aristotele, 6 Metaphysicorum, tex.8 dicente bonum et malum est in rebus sed verum et falsum est in intellectu²⁸⁰. Consequentiam vero probat quia non sumitur a malo malitia nisi in quantum malum est; malum autem, ut est in re est malum; sed ut est in intellectu est bonum, nam ratio mali

Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani, ed. Leon. t.7, p.40.I.

²⁷⁷AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum, Quaestiones*, d.22, q.2, a.3, dub.: Venecia 1581, t.1, 218s.

²⁷⁸THOMAS AQ., *Commentum in librum II Sententiarum*, d.39, q.1, a.2: ed. Vivès, 8,516.

²⁷⁹DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In secundum Sententiarum*, d.39, q.2: Venetiis 1584, p. 562b.

²⁸⁰ARISTOTELES, *Metaphysicorum*, 1.6: Lyon 1549, t,2, col.1434.; *Aristoteles latinus*, XXV 2, p.121s.

in intellectu est bona. Et propterea Boetius ait notitiam mali non posse deesse bono. 3^o PROBAT Ricardus, quia unaquaeque potentia denominatur a suo obiecto formali; sed obiectum formale voluntatis est bonum et non intellectus; ergo a cognitione boni aut mali non denominabitur intellectus bonus aut malus; at vero voluntas ab amore boni aut mali denominabitur bona aut mala. [f.253v]

Conclusionem et rationem D. Thomae ACriter OPPUGNAT Durandus 2, d.39, q.2²⁸¹, (quamvis Ricardus apud Cartusianum citatum solam rationem oppugnet²⁸²), contenditque tam intellectui quam voluntati malitiam esse non ex obiecto, sed ex modo tendendi. Et ARGUIT 1^o quia intellectus et voluntas aequaliter tendunt in mala obiecta ut sunt in re; ergo aequaliter accipiunt ab illis malitiam. Et idem semper intelligendum est de bonitate. Antecedens probat, quia nihil potest esse volitum nisi cognitum sit; ergo malum non poterit esse volitum secundum esse quod habet in re nisi cognitum sit secundum esse quod habet in re. Et obiter Durandus explicat illud dictum Aristotelis verum et falsum est in intellectu seu veritas et falsitas sunt condiciones provenientes rebus ex actibus intellectus non vero bonitas et malitia. Confirmat 1^o, quia intellectio practica fertur in bonum et malum ut est a parte rei sicut volitio. 2^o confirmat Ricardus, quia omnis cognitio vera est similitudo rei ut in se est; ergo tendit in rem in se. Confirmatur, quia saltem cognitio intuitiva terminatur ad rem ut in se est, haec enim est eius definitio.

2^o ARGUITUR, quia magis proprium videtur esse voluntati ferri in re non ut est in se, quia necessario fertur in rem ut cognita est a Deo, ut si cognita sit ut bona quamvis vere sit mala non inficiatur malitia rei, e contra vero inficiatur malitia cognita quamvis in re non sit.

²⁸¹DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.39, q.2: Amberes 1566, fol.195v.

²⁸²DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In secundum Sententiarum*, d.39, q.2: Venetiis 1584, p.563b.

3° ARGUIT Durandus quia si propterea cognitio mali est bona quia ratio in anima sive boni sive mali est bona, sequeretur omnem cognitionem etiam falsam esse bonam, quia etiam cognitio falsa est ratio boni vel mali.

4° ARGUITUR, quia illa ratio mali apud intellectum non est species, quia mali non est species propria, cum sit privatio et nihil aliud est quod nomine rationis mali intelligamus. CONFIRMATUR, quia species non est obiectum, et ideo ab illa non potest sumi bonitas aut malitia cognitionis.

5° ARGUITUR, quia voluntas non est mala nisi ex eo quod difformis est suae regulae, scilicet rationi rectae, et intellectio non est mala nisi ex eo quod difformis sit suae regu[f.254]lae, scilicet rei cognitae; debet enim intelligere rem sicuti est; ergo tam voluntatis quam intellectus malitia sumitur solum ex modo tendendi in obiectum. CONFIRMATUR, quia sicut intellectus potest versari honeste et laudabiliter circa malum iudicando esse malum et fugiendum et potest versari turpiter si malum iudicet esse bonum et prosequendum, ita voluntas potest honeste versari circa malum detestando illud et potest versari turpiter amando; ergo intellectui et voluntati aequaliter provenit malitia ex obiecto et ex modo tendendi.

6° ARGUITUR, quia res volita et res cognita secundum esse reale possunt existere extra animam; ut cum intelligis et amas amicum, et possunt existere in ipso intellectu et voluntate, ut cum intelligis intellectionem et amas volitionem. Rursus, quoad esse obiectivum, sicut cognitum est in cognoscente, a quo denominatur cognitum, ita amatum est in amante; ergo verum et falsum non magis sunt in intellectu quam bonum et malum in voluntate.

DILUENTUR haec argumenta si probatum fuerit et explicatum, bonum et malum esse in rebus, sed verum et falsum esse in intellectu, quod non solum docet Aristoteles, 6 Metaphysicorum, tex.8²⁸³, sed etiam D. Thomas saepe, praesertim 1 p., q.16,

²⁸³ARISTOTELES, *Metaphysicorum*, 1.6: Lyon 1549, t.2, col.1434; *Aristoteles latinus*, XXV 2, p.121s.

a.1²⁸⁴, et q.82, a.3c²⁸⁵, ubi Caietanus et reliqua schola D. Thomae. Et in idem redit quod asserit D. Thomas, 1 p., q.16, a.1²⁸⁶: cognitionem fieri secundum quod cognitum est in cognoscente; appetitum autem fieri secundum quod appetens inclinatur in rem quam appetit. Unde infert terminum cognitionis esse in cognoscente, verumtamen terminum appetitus esse in re ipsa. Eodem spectat quod alii dicunt: intellectus trahit res ad se, et obiecta cognita recipiuntur in cognoscente per modum cognoscentis; at vero voluntas fertur in res et quasi recipitur in illis ad modum illarum, ut ex Aristotele et Boetio adducit Cartusianus citatus²⁸⁷. CONFIRMATUR ex Aristotele 3 De anima²⁸⁸, ponente circulum quemdam in actibus animae quo res quae est extra animam movet intellectum et quasi transit ad intellectum, et inde res intellecta movet voluntatem ad rem existentem extra animam [f.254v] ut ad finem a quo coepit motus et in quo terminatur.

Suarez in his difficultatibus quas breviter expedit in indice Metaphysicae, lib.6, c.2, n° 5,²⁸⁹ explicat hoc discrimen inter bonum et verum ut illud verum quod habet propriam falsitatem oppositam sit tantum in intellectu, et illud bonum quod habet propriam malitiam oppositam sit in rebus. Haec doctrina vera est, sed ultra illam desideratur ratio huius discriminis cuius cognitio erit apprime utilis cum ex hoc pendeant mille alia discrimina inter intellectum et voluntatem.

RATIO igitur est quia perfectio intellectus non consistit in quaerenda re intelligenda quae conformis sit et proportionata intellectui antequam intelligatur ut vel sic perficiat intellectum,

²⁸⁴THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.16, a.1: ed.leon.4,206.

²⁸⁵THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.82, a.3c: ed.leon.5,299.

²⁸⁶THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.16, a.1: ed.leon.4,206.

²⁸⁷DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In secundum Sententiarum*, d.39, q.2: Venetiis 1584, p.564a.

²⁸⁸ARISTOTELES, *De anima*, l.3, c.4: Lyon 1549 col.837.

²⁸⁹FRANCISCUS SUAREZ, *Disputationes Metaphysicae*, Index locupletissimus in Metaphysicam Aristotelis, liber sextus, Q.5 : ed. Vivès, t.25, p.XXIX.

sed potius tota perfectio intellectus est rei cognitae accommodare et similem facere suam cognitionem intelligendo rem sicuti est: unde intellectus suam perfectionem quaerit et invenit in suis actionibus accommodando illas rebus cognitis.

At vero voluntas non perficitur accommodando se rei quam vult. Quod PROBATUR quia alias, sicut intellectus semper perficitur iudicando rem esse sicuti est, ita voluntas semper perficeretur volendo rem esse sicuti est; constat autem saepe turpem esse volitionem qua quis vult rem esse sicuti est, si illa res mala sit. Quare perfectio voluntatis est amare obiectum quod in se sit conveniens et conforme voluntati et non aliud; at vero perfectio intellectus est conformare suam intellectionem cuicumque obiecto.

CONFIRMATUR 1^o, a posteriori, quia propterea intellectus nihil curat utrum res cognita existat vel non existat, et utrum sic vel aliter se habeat; at vero voluntas curat ut obiectum quod amat existat et bene se habeat, et obiectum quod odio habet non existat, idque magis curat voluntas quam suam actionem existere. Quod si aliquando curat existere suam actionem id propterea est quia sua volitio est obiectum amatum. CONFIRMATUR 2^o, quia verum non dicit perfectionem rerum quae cognoscuntur, sed perfectionem intellectus; at vero bonum dicit perfectionem rerum quae amantur, ut docet D. Thomas 6 [f.255] *Metaphysicorum*, post tex.8²⁹⁰. Unde colligitur perfectionem voluntatis sumi a bonitate rei amatae tanquam a radice, quia scilicet illa res secundum rectam rationem digna est ut ametur, et haec dignitas reperitur ante omnem actum voluntatis; at vero intellectus perfectio radicaliter provenit ab ipso intellectu, quia se conformat rei intelligendo illam ut in se est. De hoc plura dixi in *Metaphysica*²⁹¹, ubi de veritate, d.5, q.2 et 3. Si petas quomodo haec doctrina significetur illa frasi Aristotelis: obiectum intellectus

²⁹⁰THOMAS AQ., *In XII libros Metaphysicorum*, 1.6: ed Vivès 24 606s.

²⁹¹D. RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii ac Disputationes de Scientia Dei, de Ideis, de Veritate, ac de Vita Dei*, disp.XC, sect.2 y 3: Lut.Parisiorum 1629, p.911s.

est in intellectu aut verum est in intellectu, RESPONDEO: accipitur nomen obiecti pro re cognita non utcumque sed ut perficit intellectum; res autem cognita perficit intellectum non propter perfectionem quam habet in se, sed quia intellectus se ille conformat. At vero obiectum voluntatis perficit voluntatem propter perfectionem quam res amata habet in se.

Si rursus OBICIAS: intellectus perficitur eo quod perfectiores res cognoscat; ergo sumi perfectionem ab obiecto praesertim ab obiecto formali, RESPONDEO nobis in praesenti satis esse quod intellectus possit esse perfectus et liber ab omni malitia et defectu licet apprehendat vel iudicet rem imperfectissimam, dummodo iudicet sicuti est. Quod autem augeatur perfectio intellectus ex perfectiori obiecto non curamus; forte tamen ideo augetur ex perfectiori obiecto quia perfectius erit tunc se illi conformare. Unde semper perfectio provenit quia intellectus se conformat obiecto non quia invenit obiectum sibi conformis.

Ex his instauro rationes D. Thomae supra, quibus probat malitiam provenire intellectui non ex obiecto sed ex modo tendendi; at vero voluntati provenire ex obiecto quia perfectio intellectus non consistit in eo quod versetur circa perfectum aut bonum obiectum, sed quod se accommodet obiecto et intelligat sicuti est. At vero voluntatis perfectio pendet tanquam a radice a reali perfectione obiecti; ergo similiter malitia utriusque potentiae. PROBO consequentiam, quia malitia nihil aliud est quam privatio perfectionis, supra, q.71, a.6, dub.1²⁹². Idem constabit magis ex solutione argumentorum.

Ad 1^{um} cum omnibus confirmationibus RESPONDEO: optime probat obiectum cognosci secundum id quod habet in re, scilicet, omnem entitatem quae est in re cognoscit; verumtamen non probat [f.255v] perfectionem vel malitiam intellectus provenire quia quaesierit vel non quaesierit obiectum accommodatum sibi ut provenit voluntati modo explicato.

²⁹² *ArchTeolGran* 2 (1939) 236-242.

Ad 2^{um} RESPONDEO similiter; probat enim rem sub hac conditione et applicatione cognitionis esse obiectum voluntatis; verum inde non colligitur perfectionem voluntatis non pendere ex bonitate quam illa res existimatur habere in se ipsa; a quo tamen non pendet perfectio intellectus directe et formaliter.

Ad 3 RESPONDEO, cognitionem falsam non esse rationem alicuius rei et propterea esse malam. Si enim alicuius rei ratio esset, illi esset conformis, atque adeo vera et bona.

Ad 4 RESPONDEO: nomine rationis, ut existimo, D. Thomas intelligit cognitionem aut rem formaliter ut est in esse obiectivo intellectus, et haec semper est bona si conformis est rei ut est in se.

Ad 5 RESPONDEO: pares sunt intellectus et voluntas in hoc quod utriusque malitia consistit in difformitate a sua regula; sunt autem dispares quia regula intellectus non dictat esse quaerendum obiectum sibi conforme et proportionatum; hoc autem dictat regula voluntatis. Ad confirmationem RESPONDEO: quando intellectus iudicat malum esse malum et fugiendum non minus adhaeret malo quam adhaeret bono quando iudicat esse bonum et prosequendum; et nihilominus nec ex obiecto malo contrahit malitiam nec ex obiecto bono bonitatem, sed ex eo solum quod intellectus se conformaverit rei ut est in se. At vero quando voluntas amat bonum adhaeret illi et unitur illi et inde recipit bonitatem; et cum amat malum adhaeret illi et inde accipit malitiam secundum illud Oseae 9 [10]: *facti sunt abominabiles sicut ea quae dilexerunt.*

Ad 6 RESPONDEO pares esse intellectum et voluntatem quoad illa, sed impares esse quoad sumendam perfectionem ex perfectione obiecti.

Articulus 6

Utrum peccatum morosae delectationis sit in ratione

Affirmat D. Thomas esse in ratione eo modo quo in praecedenti a.2, dub.1 et 2 [f.256] explicatum est peccatum cuiusque

potentiae corporeae reduci ad intellectum propter imperium. Insuper qua ratione huiusmodi peccatum sit in appetitu sensitivo dictum est supra a.4. Ac denique quando huiusmodi delectatio sit peccatum mortale dicetur in postrema disputatione huius quaestionis.

Articulus 7

Utrum peccatum consensus in actum sit in ratione superiori

Articulus 8

Utrum consensus in delectatione sit peccatum mortale

Articulus 9

Utrum in superiori ratione possit esse peccatum veniale secundum quod est directiva inferiorum virium

Articulus 10

Utrum in ratione superiori secundum se ipsam possit esse peccatum veniale

Circa hoc[s] quinque articulos duae disputationes instituendae sunt: posterior disputatio erit de morosa delectatione, circa a.6 et 8. At vero circa a.7, 9 et 10 erit disputatio prior.

Disputatio 1^a

Quomodo peccatum reperiatur in ratione superiori et inferiori

Dubitatur 1^o

Quid intersit inter superiorem rationem et inferiorem

1^o rationis superioris et inferioris nomem et discrimen invenit primus Augustinus 12 De Trinitate, c.4 et 7²⁹³. Ratio superior est quae intendit rebus aeternis conspiciendis vel consulendis; conspiciendis quidem speculative, consulendis vero quatenus ex

²⁹³AUGUSTINUS, *De Trinitate libri XV*, 1.12, c.7 : CCL 50 367 102-106; PL 42 1005; 1.12, c.4: CCL 50 358; PL 42 1000.

illis colligit dictamina practica. Et propterea dicitur superior quia circa altiora obiecta versatur et quia inde virtutem accipit praecipuendi et gubernandi inferiorem rationem; at vero ratio inferior intenta est rebus temporalibus. [f.256v]

2º hinc constat rationem superiorem et inferiorem distingui tantum per officia, scilicet penes diversos actus et diversos habitus illis correspondentes et penes diversa obiecta, ut docet Augustinus, 12 de Trinitate, c.4²⁹⁴, et D. Thomas 1 p., q.79, a.9c²⁹⁵; Alexander, 2 p., q.137²⁹⁶; Albertus Magnus²⁹⁷ et Petrus de Tarantasia quos sequitur Cartusianus, 2, d.24, q.5²⁹⁸; Ricardus, 2, d.24, a.2, q.4²⁹⁹, ubi D. Bonaventura, [q.24,] p.1, a.2, q.2³⁰⁰; Gabriel, q.un., a.2, concl.1³⁰¹; Scotus, 3, d.15³⁰²; Aegidius, 2, d.24, p.2, q.1, a.1³⁰³.

3º. Hinc colligitur quam bene a D. Augustino, 12 de Trinitate, c.12 et 14³⁰⁴, Magistro, 2, d.24³⁰⁵, D. Thoma et aliis Doctoribus accommodetur sapientia rationi superiori, quia est

²⁹⁴AUGUSTINUS, *De Trinitate libri XV*, l.12, c.4: CCL 50 358; PL 42 1000.

²⁹⁵THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.79, a.9: ed.leon.5,275.

²⁹⁶ALEXANDER HALENSIS, *Summa theologica*, 2 pars, q.137: ed.1516, fol.293v.

²⁹⁷ALBERTUS MAGNUS, RATISBONENSIS EPISCOPUS, *Summa Theologiae*, 2 p., tract.15, q.93, mem.3 y 4 : Opera Omnia t.33, Paris (1895) p.203ss.

²⁹⁸DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In secundum Sententiarum*, d.24, q.5: ed.c., p.436ss.

²⁹⁹RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, l.2, d.24, a.2, q.4: Brescia 1591, p.304a.

³⁰⁰S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.24, p.1, a.2, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.564.

³⁰¹GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, l.2, d.24, q.un., a.2: ed. Tubinga, t.II, 1984, p.475.

³⁰²JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum tertium Sententiarum*, d.15, q.1: ed Vivès, 14, 563.

³⁰³AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum, Quaestiones*, d.24, p.2, q.1, a.1: Venecia 1581, t.1, 270s.

³⁰⁴AUGUSTINUS, *De Trinitate libri XV*, l.12, c.12 y 14: CCL 50 371 y 375; PL 42 1007 y 1009.

³⁰⁵PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.24, c.5: ed. Quaracchi 1916, t.1, p.422.

per altissimas causas; scientia vero rationi inferiori, quia per inferiores rationes iudicat.

4°. Hinc solvitur illa quaestio an ratio superior et inferior sint duae potentiae vel una tantum. Haec quaestio duplicem habet sensum: alter est utrum ratio inferior sit potentia realiter diversa a ratione superiori; cui omnes Doctores nuper citati respondent negative. Et probant quia non potest pertinere ad diversas potentias medium et finis, principium et conclusio; etenim potentia est quasi movile quod per medium movetur ad finem, et per principium ad conclusionem. Idem autem est movile quod existit in medio et in termino; sed res temporales sunt principia et media via inventionis ad cognitionem aeternorum, et aeterna sunt principia et medium via iudicii ad iudicandum de temporalibus; ergo eadem potentia est. CONFIRMATUR, quia non poterit potentia assentiri conclusioni nisi cognoscat principia propter quae assentiri debet.

Ex his sequitur rationem superiorem et inferiorem in genere potentiae distingui formaliter, verum non completa distinctione conceptuum, sed quasi incompleta. Licet enim habeant respectus ad diversa obiecta et diversos actus, verum illi respectus essentialiter cohaerent inter se et implicite se invicem includunt, et non quaelibet distinctio specifica obiectorum et actuum affert distinctionem specificam completam potentiarum, ut bene Albertus citatus.

5°. Alter sensus eiusdem quaestionis est utrum ratio superior complectatur potentias plures realiter distinctas, scilicet intellectum et voluntatem, et similiter ratio infe[f.257]rior.

1° D. Augustinus, 12 de Civitate [Trinitate], c.3 et 7³⁰⁶ et Gabriel, 2, d.24, q.unica, notabile 3³⁰⁷, nomine rationis superioris intelligunt intellectum, memoriam et voluntatem, ut versantur circa obiecta aeterna.

³⁰⁶AUGUSTINUS, *De Trinitate libri XV*, 1.12, c.3: CCL 50 357s; PL 42 1000; 1.12, c.7 : CCL 50 367 102-106; PL 42 1005.

³⁰⁷GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, 1.2, d.24, q.un., a.1, Notabile 3: ed. Tubinga, t.II, 1984, p.473.

2º Aegidius, d.24, p.2, q.1, a.1 in dubio litterali³⁰⁸ ait nomine rationis superioris intelligi voluntatem ut directa est per intellectum; et probat, quia rationi superiori tribuitur delectatio, consensus et peccatum, quae ad voluntatem pertinent. Cui sententiae favet D. Thomas hic, a.7 ad 1, et supra, q.15, a.1 ad 1, et a.4³⁰⁹.

3º. Caeteri vero Doctores citati, nomine rationis superioris videntur accipere intellectum solum, tum quia ratio intellectum significat, ut docet D. Thomas, 1 p., q.79, a.8³¹⁰ ex Augustino, 1.3 Super Genesim ad litteram, c.20 et 15 de Trinitate, c.15³¹¹; tum etiam ex definitione Augustini recepta ab omnibus Doctoribus, qua solum tribuitur rationi superiori conspiciere et consulere, id est cognitio speculativa et practica, ut in principio huius dubii dictum est. — Quare non dubito quin ab aliis Doctoribus, imo etiam ab eisdem Doctoribus variis in locis accipiatur nomen rationis superioris diversimode, frequentius tamen pro solo intellectu.

Verumtamen deinceps accipietur a nobis ratio superior pro intellectu et voluntate simul, ita ut quando illi tribuerint peccatum tribuant intellectui ut precipienti vel consulenti ex imperio voluntatis et tribuant voluntati ut formaliter et per se habenti peccatum, ut versatur circa rationem superiorem. Et similiter cum tribuerint peccatum inferiori rationi.

³⁰⁸AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum, Quaestiones*, d.24, p.2, q.1, a.1: Venecia 1581, t.1, 272s.

³⁰⁹THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.15, a.1 ad 1 y a.4: ed. leon. 6,112 y 114.

³¹⁰THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1 p., q.79, a.8: ed.leon.5,274.

³¹¹AUGUSTINUS, *De Genesi ad litteram*, 1.3, c.20: PL 34 292; *De Trinitate libri XV*, 1.12, c.4 y 7: CCL 50 358, 365; PL 42, 1000 y 1005.

Dubitatur 2

Utrum omne peccatum mortale sit in ratione superiori

Hoc ab aliis ita quaeritur: utrum pars inferior possit peccare mortaliter absque superiori.

Albertus, 1 p., tract.18, q.114, mem.4, a.4³¹², videtur sentire aliquod mortale existere in sola ratione inferiori.

Nihilominus sit CONCLUSIO: *quodlibet peccatum mortale est in ratione superiori et ab illa committitur*. Ita D. Thomas hic, a.3c et a.8 ad 1; Caietanus, Conradus et alii [f.257v] in a.7³¹³; D. Bonaventura late, 2, d.24, p.2, a.2, q.2³¹⁴, ubi Ricardus a.4, q.4³¹⁵; Aegidius, p.2, q.1 a.1³¹⁶; Gabriel, q.unica, fine³¹⁷; Durandus, q.5, conclusione 2³¹⁸; Vincentius in Speculo, lib.3, p.2, d.3, a.7; Gerson, Alphabeto 29, littera H; Petrus de Tarantasia, quem sequitur Cartusianus, 2, d.24, q.6³¹⁹.

PROBANT, quia mortale peccatum numquam est sine contemptu legis divinae contra quam peccatur; sed circa legem divinam versatur tantum ratio superior; ergo peccatum mortale est in ratione superiori. CONFIRMATUR, quia cuius est converti ad Deum

³¹²ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theologiae*, 2 p., tract.18, q.114, a.4, mem.4: ed. Vivès, t.33, p.343.

³¹³CAIETANUS, ed. leon. oper. Sti Thomae, 7 43; CONRADUS KOELLIN, OP, *Expositio Commentaria... in Primam Secundae.. S.Th. Aq.*, q.74, a.7: Venecia 1589, p.570b.

³¹⁴S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.24, p.2, a.2, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.581.

³¹⁵RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, l.2, d.24, a.4, q.4: Brescia 1591, p.318.

³¹⁶AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum, Quaestiones*, d.24, p.2, q.1, a.1: Venecia 1581, t.2, 271.

³¹⁷GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, l.2, d.24, q.un.: ed. Tubinga, t.II, 1984, p.478s.

³¹⁸DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.24, a.5, concl.2 : Amberes 1566, fol.173v.

³¹⁹DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In secundum Sententiarum*, d.24, q.6: p.441a.

est averti a Deo; sed rationis superioris est converti; ergo etiam averti. CONFIRMATUR 2^o, quia peccatum mortale non est sine consensu simpliciter; consensus autem pertinet ad supremum tribunal quo renuente nihil valet inferioris consensus. CONFIRMATUR 3^o, quia si fingas peccatum mortale esse in ratione inferiori tantum vel tantum in appetitu sensitivo, eo ipso refundetur malitia in superiorem rationem quae deberet et posset cohibere eiusmodi peccata, ut dicitur in solutione argumentorum. CONFIRMATUR 4^o, quia si peccatum immediate versetur circa aeterna manifestum est pertinere ad rationem superiorem; si vero circa temporalia versetur, propterea erit in ratione superiori quia illius est iudicare de temporalibus per aeterna, ex Augustino, 12 de Trinitate, c.2³²⁰.

Contra hanc conclusionem ARGUITUR 1^o quia Augustinus, 12 de Trinitate c.12, relatum a Magistro, 2, d.24, § *Nec sane*³²¹, docet in coniugio spirituali rationis superioris cum inferiori esse discrimen a coniugio Adami cum Eva, nam in coniugio spirituali, etsi sola mulier comedat totus homo damnabitur; constat autem nomine mulieris intelligi inferiorem rationem. RESPONDET bene D. Bonaventura citatus: aliud est comedere, aliud consentire comestioni. Et licet sola ratio inferior sit aliquando quae delectatur, quia scilicet solis temporalibus rationibus movetur ad delectationem, et propterea sola dicitur gustare et comedere, nihilominus non damnatur homo nisi quia ratio superior consentit delectationi contemptis rationibus aeternis.

2^o ARGUITUR, quia aliquando consentimus peccato sive operis sive delectationis nihil cogitantes de rationibus aeternis, sed tantum de rationibus humanis; ergo tunc sola inferior consentit in peccatum. RESPONDEO, ex D. Thoma, a.7 [f.258] ad 2, D. Bonaventura et aliis citatis, negando consequentiam. Nam ratio superior tunc consentit interpretative quia potest et debet regulare

³²⁰AUGUSTINUS, *De Trinitate libri XV*, 1.12, c.2 : CCL 50 356s; PL 42 1005; 1.12, c.4: CCL 50 358; PL 42 999.

³²¹PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.24, c.12, § *Nec sane*: ed. Quaracchi 1916, t.1, p.426.

omnem actum inferioris rationis per leges aeternas, et tamen negligit regulare.

3^o URGEBIS, quia contingere potest aliquando non esse potestatem in ratione superiori ut cohibeat et gubernet inferiorem rationem; ergo tunc erit peccatum mortale in inferiori ratione et non in superiori. PROBATUR, antecedens, nam aliquando ratio inferior non potest cohibere appetitum sensitivum; ergo similiter ratio superior non poterit cohibere inferiorem. RESPONDEO aliquos actus omnino indeliberatos esse in ratione inferiori qui non possunt cohiberi a superiori ratione, ut dictum est a.3, dubio 6, et in hoc convenit ratio inferior cum appetitu sensitivo; verum de his non loquimur in praesenti, quia non sunt peccata. Caeterum, omnes actus qui sunt peccata mortalia in ratione inferiori non sunt sine plena deliberatione rationis inferioris, et quo tempore deliberat ratio inferior posset etiam ratio superior si vellet deliberare, ut recte D. Thomas, a.7 ad 4.

4^o ARGUITUR, quia contingere poterit aliquem infidelem peccare mortaliter et eius rationem superiorem nec posse nec debuisse cogitare de lege aeterna Dei; ergo illius ratio superior nec formaliter nec interpretative consentiet peccato. Constat autem antecedens contingere in eo qui invincibiliter ignorat fidem nostram vel immortalitatem animae vel Deum vel poenam et praemium aeternum.

Propter hoc argumentum Durandus, 2, d.24, q.5³²², negare videtur eiusmodi ignorantiam invincibilem, quia vult rationem superiorem non respicere obiecta naturalia, sed tantum supranaturalia.

Nihilominus D. Thomas, a.10 fine, et De Veritate, q.15, a.4, § ultima³²³; Dionysius, 2, d.24, q.5³²⁴, et communiter iuniores contra Durandum docent rationem superiorem complecti non

³²²DURANDUS A STO. PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi Commentariorum libri quatuor*, 2, d.24, q.5, n.9 : Amberes 1566, fol. 173v.

³²³THOMAS AQ., *De veritate*, q.10, a.4: ed.leon. 22 305ss.

³²⁴DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In Sententiarum librum secundum*, d.24, q.3: Venetiis 1584, p.437.

solum supranaturales, sed etiam naturales rationes. Unde RESPONDEO: vel infidelis ille ignorat invincibiliter naturalem virtutem et vitium ita ut nesciat hoc opus esse contra virtutem aut contra rationem aut contra Deum aut contra bonum honestum, et tunc non peccat; si autem peccat aliquid horum scit vel explicite vel implicite; et virtute huius eius ratio superior cohibere poterat [f.258v] peccatum inferioris. CONFIRMATUR, quia qui contra dictamen rationis naturalis peccat, eo ipso peccat contra Dei legem aeternam a qua derivatur. Supra, q.71, a.6, dubio ultimo³²⁵.

5. et difficilius ARGUMENTUM: quia consensus in delectationem saepe est peccatum mortale et tamen pertinet ad rationem inferiorem; at vero consensus in opus pertinet ad rationem superiorem, ut docet D. Augustinus, 12 De Trinitate, c.12³²⁶, cuius verba refert Magister, 2, d.24³²⁷ et suscribunt omnes scholastici ibi. D. Thomas hic, a.7; ex professo Alexander, 2 p., q.137, memb.1 et 2³²⁸; Altissiodorensis, 1.2, trac.28, cap.2, q.2 versus finem³²⁹; Vincentius in Speculo, 1.3, p.2, d.3, a.7; Adrianus, De Eucharistia, q.4, § 2^o dico; Gerson, Alphabeto 28, littera R, et Alphabeto 29, littera F.

PROBANT D. Thomas et alii, quia ultimum iudicium de unaquaque re pertinet ad supremum tribunal quod potest revocare sententiam inferioris iudicis; unde circa agibilia ultimum decretum quod aliis robor praebet est rationis superioris, quo posito firma est sententia, et quo sublato nondum est firma, quia ratio superior iudicat per altissimas causas et ideo ad eam spectat gubernare

³²⁵ *ArchTeolGran* 2 (1939) 288-292.

³²⁶ AUGUSTINUS, *De Trinitate libri XV*, 1.12, c.12 : CCL 50 371s; PL 42 1007.

³²⁷ PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.24, c.12: ed. Quaracchi 1916, t.1, p.425s.

³²⁸ ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2 pars, q.137, mem.1 y 2: ed.1516, fol.293vs.

³²⁹ GULIELMUS ALTISSIODORENSIS, *Aurea in quatuor Sententiarum libros perlucida explanatio*, 1.2, tract.28, c.1 y 2: ed. Paris, (letra gotica) fol.99v.

caeteras vires. Rursus ultimum iudicium est circa opus exsequendum; at vero iudicium circa delectationem per se loquendo est praeambulum ad iudicium operis.

NEC SATIS ERIT DICERE consensum in delectationem pertinere simul ad rationem inferiorem et superiorem; nam similiter consensus in opus pertinet saepe ad utramque rationem. Nec satisfacies si dicas consensum in delectationem esse sine consensu formali rationis superioris, non tamen sine consensu interpretativo; nam similiter potest esse consensus in opus sine consensu formali rationis superioris non tamen sine consensu interpretativo, ut docet D. Thomas, a.8 ad 2, et aliis locis citatis.

Quare RESPONDEO cum Caietano hic, a.8³³⁰ et Aegidio, 2, d.24, p.2, q.1, a.1³³¹, in hac sententia D. Augustini et Scholasticorum esse accommodationem quamdam congruentem qua consensus in opus tribuitur rationi superiori, quia est ultimus et supremus in tota deliberatione; at vero delectatio quae est quasi initium et via, quia per se ex ratione delectationis ordinatur ad opus de quo delectamur, congruit inferiori rationi [f.259] sicut accommodatur Patri Potentia et Filio Sapientia, et Spiritui Sancto Bonitas, cum tamen haec attributa tribus Personis conveniant. Unde D. Thomas supra, q.15, a.4 ad 1³³², ait delectationem, si non accipiatur ut via est ad opus, sed ut opus quoddam est, pertinere ad superiorem rationem, quia sic est ultima, cui doctrinae subscribit Aegidius citatus, insuper Alexander, 2 p., q.125, memb.11 fine³³³ et Altissiodorensis citatus dicunt delectationis consensum aliquo modo pertinere ad rationem superiorem, quare in re nullum aliud discrimen versatur inter consensum operis et delectationis, quamvis oppositum videatur sentire D. Thomas, a.7 ad 3, cui satisfacit Caietanus³³⁴.

³³⁰THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.74, a.7: ed.leon.7,42,II.

³³¹AEGIIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum, Quaestiones*, d.24, p.2, q.1, a.1: Venecia 1581, t.2, 271.

³³²THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.15, a.4 ad 1: ed. leon. 6 112.

³³³ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2 pars, q.125, mem.11: ed 1516, fol.274v (el folio por error dice CLXXV).

³³⁴THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.74, a.7: ed.leon.7,42,IV.

Dubitatur 3

Utrum omne peccatum sit in ratione inferiori an vero aliquod sit in sola ratione superiori

Hoc tractat D. Bonaventura, 2, d.24, p.2, a.1, q.1³³⁵, sub hoc titulo: Utrum in superiori parte rationis possit esse peccatum secundum se, id est absque instinctu inferioris partis.

Constat ex praecedenti dubio omne peccatum praesertim mortale esse praecipue in ratione superiori et illi praecipue imputari ut primo moventi et supremo iudici. Constat etiam aliquando peccatum esse in ratione inferiori ut in suggerente et appetente malum propter temporales rationes. Dubium autem praesens est: utrum in omni peccato sit haec suggestio inferioris rationis.

Augustinus apud Magistrum, 2, d.24, VIDETUR SENTIRE numquam esse peccatum in superiori parte nisi ex instinctu inferioris³³⁶. Huius causam aliqui existimabant esse quod ratio superior idem sit quod synderesis. Hos optime REFUTAT D. Bonaventura citatus, 1^o, quia synderesis non est libera, sed naturalis, cum versetur circa prima principia notissima, et ad intellectum tantum pertinet sine imperio voluntatis; at vero ratio superior discursiva est et deliberativa circa omnes altissimas causas. Unde fit ut synderesis numquam peccet; ratio vero superior peccat.

1^a CONCLUSIO: *aliqua peccata sunt in sola ratione superiori.*
Ita D. Bonaventura citatus et D. Thomas hic a.10. Vincentius, in

³³⁵S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.24, p.2, a.1, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.574s.

³³⁶PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.24, c.12 : ed. Quaracchi 1916, t.1, p.425s.

Speculo, l.3, p.2, d.3, a.10; Ricardus, 2, d.24, a.4, q.5³³⁷, ubi Aegidius [f.259v] 2 p. distinctionis, q.2, a.4³³⁸.

Quod attinet ad peccata venialia discutietur magis infra, dubio 5. Nunc generaliter quantum ad omnia peccata et praesertim quantum ad mortale, PROBATUR conclusio, quia contingere potest aliquem consideratis rationibus assentiendi fidei et non consideratis aliis rationibus vellet non assentiri fidei et iudicare non esset assentiendum, et contingere potest aliquem consideratis solum rationibus sequendi honestatem et virtutem in communi, velle nihilominus non alligari et arctari ad illam sequendam; quo supposito sic argumentor: eiusmodi peccatum est directe et per se circa obiectum rationis superioris et non circa obiectum inferioris rationis; ergo illud peccatum est in sola ratione inferiori [superiori?]. Alias rationes adducit D. Bonaventura quae ad hanc reducuntur vel solum probant peccatum esse in ratione superiori, sed non in illa sola.

Hinc bene infert D. Bonaventura tantum spiritualia peccata esse in sola ratione superiori, sed non omnia peccata spiritualia, nam furtum et homicidium sunt peccata spiritualis et tamen non sunt in ratione superiori sola.

Quod si OBICIAS: nullum peccatum esse potest nisi voluntas alliciatur aliquo bono creato sive vero sive apparenti; sed amare huiusmodi bonum pertinet ad inferiorem rationem; ergo omne peccatum est etiam in inferiori ratione,

RESPONDEO, et sit 2^a CONCLUSIO: *Omne peccatum est in inferiori parte rationis quodammodo scilicet quoad motivum peccati.* Nihilominus, quia peccatum non consistit formaliter in motivo peccati, sed in ea inordinatione quae est circa immediatum et proximum obiectum, et quia hoc obiectum in praedictis peccatis pertinet ad rationem superiorem, ideo absolute sunt in ratione

³³⁷RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, l.2, d.24, a.4, q.5: Brescia 1591, p.319.

³³⁸AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum, Quaestiones*, d.24, p.2, q.2, a.4: Venecia 1581, t.2, 287s.

superiori sola. Et ut existimo hoc tantum voluit D. Augustinus citatus. Aliter respondet D. Bonaventura, sed non placet.

Dubitatur 4

Utrum peccatum possit esse in ratione inferiori sine suggestione sensualitatis

Haec quaestio sola voce differt ab alia quae disputari solet infra, q. 77, a. 1: Utrum omne peccatum proficiscatur ex passione. In qua Platonici affirmabant dicentes omnia mala animi ex corpore contigisse, ut refert D. Augustinus, 14 [f. 260] De Civitate, c. 3³³⁹, quam etiam fuisse Pithagoricorum mentem docet Vives ibi³⁴⁰. Et eandem sententiam secutus est Vergilius, Aeneida, 6³⁴¹: *igneus est oleis vigor*, etc.

PROBARI POTEST 1^o, quia ita videntur sentire Cyrilus, 4 lib. in Ioannem, c. 51³⁴² colligitque ex Iacobi 1 [14]: *Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus*. Imo communiter Patres affirmant hunc esse progressum peccati ut praecedat suggestio, sequatur delectatio et consensu peccatum consummetur. Ex quibus suggestionem tribuunt sensualitati, quam serpenti comparant; delectationem adscribunt inferiori rationi, quae ut Eva virum, id est superiorem rationem, ad consensum alliciat. De quo Augustinus docet, De Trinitate, c. 8³⁴³, et 1 De sermone Domini in monte, c. 23³⁴⁴, et 2 De Genesi contra

³³⁹AUGUSTINUS, *De Civitate Dei libri XXII*, 1.14, c.3: CCL 48 416s; PL 41 405s.

³⁴⁰Cita el comentario de Juan Luis Vives en la edición de las obras de San Agustín de Basilea 1569, tomo 5, col.755.

³⁴¹En el pasaje citado de San Agustín. CCL 48 417.

³⁴²DIVI CYRILLI ALEXANDRINI EPISCOPI, *Super Evangelium Ioannis*, 1.4, c.51: Paris 1605, fol.523ra; PG 73 690.

³⁴³AUGUSTINUS, *De Trinitate libri XV*, 1.12, c.8 : CCL 50 368; PL 42 1005.

³⁴⁴AUGUSTINUS, *De sermone Domini in monte libri duo*, 1; CCL 35, 37; PL 34, 1246.

Manicheos, c.14³⁴⁵; et D.Gregorius, Responsione 11 ad Interrogationes episcopi Anglorum quae habentur in fine Registri³⁴⁶.

Ad idem probandum adducuntur a Ricardo infra Bernardus, c.8 Meditationum et Glossa in id Psalmi 83, *Altaria tua Domine virtutum*. Sed nihil de hac re dicunt.

Sed Petrus de Tarantasia apud Cartusianum, 2, d.24, q.6³⁴⁷ ait numquam esse peccatum in ratione sine suggestione sensualitatis.

2° PROBARI potest ex Paulo ad Galatas 5 [19-22] ubi enumerat inter opera carnis ea capita ad quae reduci possunt omnia peccata.

3°, quia intellectus numquam cognoscit nisi operante phantasia; ergo voluntas nihil vult nisi appetente etiam sensualitate. CONFIRMATUR, quia ex Aristotele, c.10, textu 51, intellectus semper est rectus, phantasia autem recta et non recta³⁴⁸; ergo intellectus nunquam errat nisi occasione phantasiae; ergo similiter voluntas numquam errat nisi occasione appetitus sensitivi.

VERA SENTENTIA est quam docet Augustinus, 14 De Civitate, c.3³⁴⁹ *non omnia peccata proficisci ex carne et eius passionibus*, quod circa spiritualia peccata manifestum est, quia ut illorum obiectum potest esse eiusmodi, ut nihil habeat quod sensum delectet ratione sui sed propter delectationem redundantem a voluntate, ita potest [f.260v] ad eiusmodi peccata moveri voluntas a se ipsa sine suggestione sensualitatis. CONFIRMATUR, quia in daemonibus dantur peccata et non habent suggestionem sensua-

³⁴⁵AUGUSTINUS, *De Genesi contra manichaeos libri II*, 2, c.15: PL 34 206s.

³⁴⁶GREGORII MAGNI, *Undecim interrogationes Augustini Canthuariensis Angliae Archiepiscopus*, Undecima interrogatio. Responsio...: ed. Lyon 1551, fol.253, col.d.

³⁴⁷DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In secundum Sententiarum*, d.24, q.6: p.441a.

³⁴⁸ARISTOTELES, *De anima*, c.10: Lyon 1549, col.836, n.51s.

³⁴⁹AUGUSTINUS, *De Civitate Dei libri XXII*, 1.14, c.3: CCL 48 416s; PL 41 405s.

litis; ergo in homine eiusmodi peccata non indigent suggestione sensualitatis.

Sed praeterea dicendum est peccata carnalia contingere aliquando hominibus sine suggestione ulla sensualitatis. Ita D. Bonaventura, 2, d.24, p.2, a.2, q.1³⁵⁰, ubi Ricardus, a.4, q.2³⁵¹; Aegidius, 2^a p. distinctionis, q.2, a.3 fine³⁵²; Cartusianus, supra.

EXPLICATUR ET PROBATUR, quia homines perdit et prorsus obliti alterius vitae desiderant motum et delectationem concupiscentiae postquam illa est adeo frigida et exhausta ut non appetat sed cum fastidio respuat eiusmodi delectationes sicut etiam contingit infirmos optare famen quando nausea laborant.

Ad 1^{um} argumentum RESPONDEO illa et similia loca Sanctorum accipienda esse de iis peccatis quae communiter committuntur, nam raro abest suggestio sensualitatis. Praeterea suggestionem intelligere possumus esse quamlibet cogitationem boni apparentis irritantis ad peccatum, quamvis non proficiscatur a sensualitate, et hoc modo ante omne peccatum praecedet suggestio.

Ad 2^{um} RESPONDEO 1^o, omnia genera peccatorum posse provenire ex carne quamvis non proveniant singula individua. RESPONDEO 2^o, nomine carnis quandoque intelligi rationem ut versatur circa res temporales. Vide supra, a.3, initio.

Ad 3: negatur consequentia, non enim pendet voluntas a sensualitate sicut intellectus a phantasia, nam haec ministrat species et phantasmata intellectui, sed voluntas praeter intellectionem nullo alio actu indiget ut possit appetere. Ad confirmationem RESPONDET D. Bonaventura, dicta d.24, a.1, q.1³⁵³,

³⁵⁰S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.24, p.2, a.2, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.578s.

³⁵¹RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 1.2, d.24, a.4, q.2: Brescia 1591, p.316.

³⁵²AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum, Quaestiones*, d.24, p.2, q.2, a.3: Venecia 1581, t.2, 286.

³⁵³S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.24, p.2, a.2, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.574s.

illud intelligitur de intellectu quatenus movetur ad aliqua intelligenda per modum naturae, nam circa ea quae intelligit per discursum errare potest ratione sui sine errore proveniente a phantasia, et similiter voluntas circa ea quae libere appetit errare potest ratione sui sine suggestionem appetitus.

Dubitatur 5

Utrum in superiori parte rationis possit esse veniale

[f.261]

Alexander, 2 p., q.137, memb.2³⁵⁴ ex Magistro asserit in superiori parte rationis esse mortale tantum et non veniale.

PROBARI POTEST 1^o ex Augustino, 12 de Trinitate, c.12, apud Magistrum, 2, d.24³⁵⁵, dicente quando superior pars rationis consentit illecebrae tunc esse peccatum damnabile. 2^o quia ratio superior non versatur nisi circa rationes aeternas; sed cum avertitur ratio ab aeternis committitur mortale; ergo veniale non est in ratione superiori. 3^o, quia ratio superior est veluti cor et principium spiritualis vitae; ergo quaelibet infirmitas illius erit letalis. 4^o, quia peccatum veniale fit mortale ex contemptu; sed cum primum est perfecta deliberatio rationis superioris reperitur contemptus; ergo erit peccatum mortale. 5^o ARGUITUR, ex dictis in a.3 quaestionis 89³⁵⁶, quia propterea in statu innocentiae non potuit esse veniale, quia inferiores vires erant plenae subiectae superioribus; ergo in superiori ratione non potest esse veniale, alias nihil probaret argumentum. 6^o, quia saltem veniale ex indeliberatione non poterit esse in ratione superiori, quia ratio superior considerat altissimas causas; unde nihil restabit illi considerandum ut melius deliberet.

³⁵⁴ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2 pars, q.137, mem.2 fine: ed.1516, fol.294.

³⁵⁵PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.24, c.9-12 : ed. Quaracchi 1916, t.1, p.424ss.

³⁵⁶ *ArchTeolGran*, 55 (1992) 254-264.

NIHILOMINUS *certum est aliquod veniale reperiri in ratione superiori*. Ita Alexander, 2 p., q.124, memb.6³⁵⁷; D. Thomas. a.9 et 10, ubi Caietanus³⁵⁸, Conradus³⁵⁹ et alii discipuli; Vincentius in Speculo, l.3, p.2, d.3, a.9 et 10; Cartusianus, 2, d.24, q.6³⁶⁰ et apud illum Albertus, D. Bonaventura, 2, d.24, p.2, a.1, q.2³⁶¹; ubi Aegidius, q.2, a.4³⁶².

EXPLICATUR ET PROBATUR: nam 1^o, potest esse in ratione superiori peccatum veniale ex consensu cum inferiori ratione circa materiam levem ex genere suo pertinentem ad inferiorem rationem, ut si ratio superior consentiat verbo otioso. Ita omnes citati, etiam Alexander.

2^o, potest ratio superior peccare venialiter circa propriam materiam, si actum eliciat sine plena deliberatione, ut constat in motibus secundo primis infidelitatis aut desperationis aut levi negligentia amandi Deum, quod concedunt omnes citati praeter Alexandrum. Unde etiam COLLIGITUR in ratione superiori secundum se potest dari motus primo primos essentialiter malos et omnino indeliberatos, ac proinde nullo modo imputabiles ad culpam. [f.261v]

3^o, D. Thomas, Vincentius, Cartusianus et Aegidius docent in ratione superiori secundum se et ut versatur circa propriam materiam non reperiri peccatum veniale plene deliberatum. Sed contra hoc est, quia si quis plena deliberatione decernat violare

³⁵⁷ALEXANDER DE HALES, *Summa theologica*, 2 pars, q.124, mem.6: ed.1516, fol.270v.

³⁵⁸THOMAS A VIO, *Commentarii in Summam Sti. Thomae*, 1.2., q.74, a.9 y 10: *Opera Omnia Sti. Thomae cum commentariis Thomae de Vio Caietani*, ed. leon. t.7, p.46.

³⁵⁹CONRADUS KOELLIN, OP, *Expositio Commentaria... in Primam Secundae.. S.Th. Aq.*, q.74, a.9 y 10: Venecia 1589, p.575a y 577a.

³⁶⁰DIONYSIUS CARTUSIANUS, *In secundum Sententiarum*, d.24, q.6: p.442.

³⁶¹S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.24, p.2, a.1, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.576.

³⁶²AEGIDIUS COLUMNA ROMANUS, *In Secundum Librum Sententiarum, Quaestiones*, d.24, p.2, q.2, a.4: Venecia 1581, t.2, 287.

votum in materia levi praetermittendo exiguum partem orationis promissae, illud peccatum non minus pertinebit ad rationem superiorem quam peccatum mortale violandi votum in materia gravi, et tamen illud peccatum erit veniale. Quare illos Doctores sic intelligendos existimo ut omne peccatum plene deliberatum rationis superioris sit ex genere mortale, nisi materiae parvitas excuset vel nisi eius obiectum secundum quid pertineat ad rationem superiorem et non simpliciter, quia non requiritur simpliciter ad retinendas rationes aeternas sed tantum est secundum quid necessarium, ut in simili dictum est in q.88, a.1, dubio 10, et q.89, a.3³⁶³. Et forte hoc tantum vult D. Bonaventura in fine dictae q.2, dicens omnem inordinationem superioris partis esse ex genere mortalem³⁶⁴.

4^o, D. Thomas, Vincentius, Aegidius et Cartusianus citati docent in ratione superiori prout gubernat inferiores vires numquam esse peccatum quod propter subreptionem sit veniale, et probant quia ratio superior non versatur circa res inferiores nisi prout consulit rationes aeternas; ergo ut deliberans; ergo motus indeliberatus circa res inferiores non potest tribui rationi superiori. Verum hanc sententiam eodem modo intelligendam existimo sicut supra in simili dictum est in a.4, ut scilicet peccatum eiusmodi tribuatur rationi inferiori, quia ab illa elicitur circa propriam materiam et non tribuatur rationi superiori, quia non elicit illud nec consentit illi simpliciter. Nihilominus non potest negari quin hoc peccatum veniale pertineat ad rationem superiorem quae propter rationes aeternas divinae legis deberet cohibere illud peccatum et potuit aliquo modo cohibere sed non cohibuit. CONFIRMATUR quia, nisi ratio superior potuisset aliquo modo advertere ad rationes non posset vitare illud sub ratione peccati ac proinde nullo modo imputaretur ad culpam.

Ex hoc et praecedentibus dubiis constat omne peccatum tam mortale quam ve[f.262]niale esse in ratione superiori ut

³⁶³ *ArchTeolGran* 54 (1991) 281-286; *Ibid.* 55 (1992) 254-264.

³⁶⁴S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.24, p.2, a.1, q.2: Quaracchi, t.2 (1885), p.576, n.4.

universaliter docet Ricardus, 2, d.24, a.4, q.5³⁶⁵. Et non obstat praecedens limitatio ut indeliberatum veniale circa materiam inferioris rationis non sit simpliciter in ratione superiori, sit tamen in illa secundum quid eo modo quo est peccatum; at vero idem actus non in ratione peccati sed in ratione actus et in ratione deficientis a deliberatione est simpliciter in ratione inferiori.

Ad argumenta RESPONDEO ad 1^{um} illud intelligi de consensu simpliciter circa rem ex genere mortalem.

Ad 2 RESPONDEO: potest ratio averti a rebus aeternis sine plena deliberatione, et tunc non simpliciter imputabitur illi aversio; deinde potest averti non simpliciter sed secundum quid tantum, et illud erit veniale. Vide D. Thomam a.9c.

Ad 3 RESPONDEO: si infirmitas sit absolute talis erit letalis; si vero sit secundum quid infirmitas, quia est circa res non simpliciter necessarias ad finem aut sine plena deliberatione, non erit letalis, sicut non est letalis levis quaedam deordinatio eorum quae ad cor pertinent. Vide D. Thomam, a.9 ad 2.

Ad 4 RESPONDET D. Thomas, a.9 ad 3: non est contemptus in qualibet perfecta deliberatione cuiusque peccati. Quando autem sit contemptus sufficiens ut ex veniali fiat mortale dixi late q.88, a.4, dub. 4³⁶⁶.

Ad 5 RESPONDEO, ex dictis in eadem q.89, a.3: ibi nomine inferiorum virium intelligitur intellectus et voluntas ut versantur sine plena deliberatione circa res altissimas in materia gravi vel cum quacumque deliberatione in materia levi; quare strictius accipitur ibi nomen rationis superioris, scilicet ut cum plena deliberatione versatur circa res altissimas in materia gravi, sicque suam vim retinet argumentum illi adductum licet in nobis possit esse peccatum veniale in ratione superiori non plene deliberante vel circa materiam levem vel ex instinctu inferioris rationis

³⁶⁵RICARDUS DE MEDIIVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 1.2, d.24, a.4, q.5: Brescia 1591, p.319.

³⁶⁶ *ArchTeolGran* 55 (1992) 298-302.

inclinantis superiorem ad plenum consensum. Aliter respondet Aegidius citatus, sed non placet. [f.262v]

Ad 6 RESPONDEO 1^o, rationem superiorem posse aliquando minus bene considerare altissimas causas et non satis conferre cum inferioribus rebus ut perfecte deliberet. 2^o RESPONDEO: licet bene consideret causas quasdam altissimas ut legem naturalem Dei, poterit non considerare alias superiores ut fidem et beatitudinem supranaturalem, et defectu huius considerationis continget defectus deliberationis in ratione superiori, de quo D. Thomas, a.10 ad 3.

Continúa el manuscrito:

Ad articulum 6 et praecipue ad 8, quaestionis 74

Posterior disputatio de morosa delectatione

Dubitatur 1^o

Utrum delectatio morosa sit mortale peccatum